

LANGER GEORGIUS

# Principia ethica

1747

EOD - milióny knih z katalogů knihoven více než 10 evropských zemí jsou nyní k dispozici jedním kliknutím myši.



#### **Děkujeme, že jste si vybrali EOD!**

V evropských knihovnách jsou uchovávány milióny historických i novověkých knih. Velká část těchto dokumentů může být nyní velmi jednoduše k dispozici v podobě elektronické knihy - eBook. Požadovaný titul si můžete kdykoli objednat prostřednictvím online katalogů knihoven zapojených do projektu EOD (eBooks on Demand – elektronické knihy na požádání). Tištěnou knihu převedeme do digitální podoby a zpřístupníme v elektronické podobě.

## Co Vám můžeme nabídnout. (a proč využívat službu EOD)

- ⇒ Získáte téměř identický dojem, jako kdybyste si prohlíželi originál.
- ⇒ K prohlížení elektronické knihy stačí běžný software, samozřejmostí je možnost zvětšení stran nebo jednoduchá navigace.
- ⇒ Můžete si vytisknout jednotlivé strany nebo celou knihu.
- ⇒ K dispozici máte vyhledávání jednotlivých slov z plného textu knihy.\*
- ⇒ Jednoduše zkopírujete obrázek nebo část textu a přenesete je do jiných aplikací, např. textového editoru.\*

\* Nelze poskytnout u každé knihy.

## Podmínky služby

Objednáním služby EOD přijímáte podmínky stanovené knihovnou, která vlastní knihu. EOD poskytuje přístup k digitalizovaným dokumentům výhradně pro osobní potřebu, komerční využití není dovoleno bez svolení vlastníka dokumentu.

- ⇒ Všeobecné podmínky - česky: <http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/cz/agb.html>
- ⇒ Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/en/agb.html>
- ⇒ Terms and Conditions in German: <http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/de/agb.html>

## Více o projektu


Službu EOD nabízí již 18 knihoven z více než 10 evropských zemí. Podrobné informace o projektu získáte na <http://books2ebooks.eu>

2701757

178678



178678



PRINCIPIA  
ETHICA

Fundata in Jure Naturæ,  
EXPLANATA

Ex Prælectionibus Accdemiais  
PHILOSOPHIÆ  
PRACTICÆ SEU MORALIS.

*Quas*  
Annexis Positionibus  
Ethico-Historicis.

*Quas*  
MAGNO MORUM MAGISTRO,  
HISTORIÆ IMMORTALIS  
COMPENDIO,  
DIVO IGNATIO  
DE LOJOLA

FILIALI DICATAS AFFECTU  
In Alma, Antiquissima, ac Ce-  
leberrima Cæsarea, Regiâque Uni-  
versitate Carolo-Ferdinandea  
Pragensi

SUB RECTORA  
ADMODUM REVER  
AC EXIMII PAT

P. LEOPOL  
GRIM

E SOCIETATE JESU  
SS. Theol. Doctoris, Cæsa  
Academici Collegii ad S. Clem. Vete-  
ro-Pragæ, nec non prænominatæ Almæ Czæ-  
sareæ, Regiæque Uuivers. Carolo-Ferd.  
Pragensis p. t.

RECTORIS MAGNIFICI,  
178678 PRÆSIDE

*Reverendo ac Doctissimo Patre*  
P. GEORGIO LANGER  
Societatis JESU AA. LL. & Phil. Do-  
ctore, in hac Alma Carolo-Ferdin. Uuivers.  
Pragensi Ethico-Historiæ Professore Re-  
gio, Publico, ac Ordinario.

*In Magna Aula Carolina publicè suscepit  
defendendas*

ANTONIUS HOFFMANN  
Ejusdem Societatis Religiosus.

*Annò MDCCXLVII. Mense August. die horis  
meridiem consuetis.*

Pragæ, Typis Uuivers. Carolo-Ferd. in Coll. S. J. ad S. Cl.

26579

20. XI. 1950



Gravestio je 20. 16



QUÆSITA  
PRÆLIMINARIA  
AD  
Practicam seu Moralem  
Philosophiam perti-  
nentia.

N. I.

**Q**UÆRES I. *Quid sit Phi-  
losophia practica seu mo-  
ralis?*

**R.** Quia non modica, neque exigua ab eadem commoda veteres Philosophi pollicentur, quos inter Aristippus: *ut si omnes leges intereant, equaliter vivamus.* Diogenes: *ut ad omnem fortunam simus parati* Zeno: *ut proprio quodam motu incitemur ad animi nobilitatem.* Tullius: *vitiorum nostrorum omnem abinde medicinam.* Seneca: *ut se quis Deo parem faciat.* Idcirco bene dicitur & definitur, quòd sit bene dictorum, & facio-

A rum

2 *Quæſita Preliminaria ad Præcticam*

*rum Mater. Scientia bene vivendi, ſcientia virtutum &c. &c.* Fuſius ità: eſt Scientia determinans ultimum finem, ac docens in univerſali modum, quò debet homo ordinare totam vitam, & omnes actiones ad talem finem conſequendum. Nunquid patet: ut eidem non tantùm ſpeculativè ſed maximè etiam practicè quis navet operam?

2. **Q**UÆRES II. *An detur omnino finis aliquis, ad quem vita humana dirigenda?*

**R** Non fide tantùm, ſed & ratione certum eſt dari. Alioquin Author naturæ homini appetitum impreſſiſſet inaniter; eſſet enim inexplebilis, & idcirco fruſtraneus. 2dò quid quid creatum eſt, & quidquid habet cauſam ſui efficientem, habet etiam finalem, teſte Philoſopho, quia *omnis cauſa efficiens operatur effectum, in bonum naturæ, id eſt propter finem, & ſicut neque in cauſis efficientibus, ità nec in finalibus procedimus in infinitum.* Eſt ergo & datur finis aliquis determinans, ad quem quiſque tendat, & in quem arcum dirigat.

3. **Q**UÆRES III. *Quid ſit finis, & quotu-plex?*

**R** Ariſtoteles lib. 2. phyſ. finem vocat, *cujus gratiâ aliquid fit.* Et quia nemo intendens in malum operatur, finis, & bonum ſum-

*Seu Moralem Philosophiam pertinentia. 3*  
muntur pro eodem. Est autem finis alius  
qui, qui ab operante intenditur, alius quo,  
qui est ipsa consecutio, seu possessio finis ;  
alius operis, alius operantis. Itè *prosecutio-*  
*nis, & aversionis, extrinsecus, & intrinsecus. Ulti-*  
*mus: ad quem ex natura sua referuntur om-*  
*nia: ille autem ulterius non refertur. Non*  
*ultimus, qui est medium, ut finis ultimus ob-*  
*tineatur.*

4. **Q**UÆRES IV. *Qualia bona perperam in*  
*rationem finis se insinuent?*

**R.** *Esti 280 erroneas de fine hominis vete-*  
*rum opiniones ex Varrone recenset S.*  
*Aug. l. 9. de civit. c. 4. tres tamen sunt*  
*famulosiores, Epicuri, qui bona corporis &*  
*fortuna. Seneca, & stoicorum, qui bona a-*  
*nimi, ut sunt virtutes tum intellectus, tum*  
*voluntatis. Aristotelis, & Peripateticorum,*  
*qui complexum corporis, & animæ bona*  
*finem statuerunt. Sed perperam, ut breviter*  
*ostendo. Bona corporis sunt in brutis quan-*  
*doque perfectiora; quia superat Nos aper*  
*audiu, lynx visu, simia tactu &c. Eadem*  
*bona sunt sæpe turpia, sunt caduca, & aufe-*  
*ribilia, adeoque non plenè satiativa, & quie-*  
*tantia appetitum. Bona fortuna sunt vel*  
*divitia: & hæ sunt tantum medium ad alia*  
*bona comparanda, pariunt sollicitudines*  
*&c. vel sunt honor: & hic est signum tantum*

4 *Quæſita Præliminaria ad Præcticam*

boni: præterea non eſt in honorato, ſed in honorante. Vel ſunt *Potentia*: & hæc ordinatur aliò, nempe ad Reipublicæ bonum. Inſuper bona fortunæ ſunt valde mutabilia, auferibilia. Ergo errat quiſquis hiſce bonis ceu verus eſſent finis hominis, impetu cæco inſiſtit. *Animi bona* ſunt aut ſcientiæ aut virtutes. Scientiæ verò in gradu etiam excellentiſſimo pretium ſuum habent ab objecto & bonitatem, nec ſunt bona pura, nec plenè ſatiativa; Virtutes verò morales etiamſi propter ſe ſint appetibiles, medium tamen ſunt ad bonum aliud, neque conjunguntur cum gaudio aliquo propriè ſatiativo in hac vita; ergo.

*Nil denique creatum finis ultimus hominis eſſe poteſt: quia omne creatum, eſt deſectibile; hinc poteſt diſplicere, & conſequenter non quietare aut ſatiare appetitum; ergo.*

5. Inferes ex hiſ nequaquam ſubſiſtere doctrinam, quam refert Ludovicus Philippus Thümmigius Profeſſor Phl. Ordin. Reg. Soc. ſcient. Bor. Sodalis in inſtitutionibus Philoſophiæ Wolffianæ in uſus academicos adornatæ, ejuſdem opuſculi Phil. univ. c. 6. § 65. ubi ità: *homo actiones ſuas dirigere tenetur ad ſui perfectionem --- erit hæc perfectio finis ipſius, iſque ultimus.* Per quam  
ſui

*Seu Moralem Philosophiam pertinentia. §*

sui perfectionem, quia (ut ex contextu eruitur) nil aliud intelligitur, quam habitus virtutum, ideo illa (nempe sui perfectio) finis ultimus esse non potest. Ratio est: imò: quia hæc sui perfectio, sicut omnes virtutes, medium est, quò ad vitam verè beatam disponimus, & quia juxta Aristotelem 2. Eth. c. 4. *Beatitudo est maximum virtutis premium*; ideo beatitudo, hanc sui perfectionem sequitur, distatque propterea hæc opinio à veritate ut medium à fine, ut via à termino, ut à merce pretium, quò illa comparatur. Præterea, quod bene notandum, quia sui perfectio difficiles pugnas exigit, & continuam derepugnante natura victoriam (nisi alius assignetur finis omnis miseriæ sublativus) quò quis esset perfectior, & virtuosior, eò esset miserabilior. Itèm illa sententia Thümmigii ex Philosophia Wolffiana, in bono ac felicitate vitæ termino clausa sistit, quod non potest sustineri; etiamsi enim daretur status naturæ puræ, non potuisset tamen homini præfigi finis merissimè temporalis; quia improporcionatus animæ spirituali, & immortalis, etiam in illo statu.

6. Eodem modo non subsistit ejusdem Thümmigii in iisdem institutionibus Philosophiæ Wolffianæ §. 689. qui sic ha-

6 *Quæſita Preliminaria ad Præcticam*

bet: *Beatitudo igitur Philoſophica, ſeu ſummum bonum eſt non impeditus progreſſus ad majores perfectiones.* Præter illa enim, quæ dicta numero præcedente, etiam hic opponi poſſent, ex terminis patet, hunc finem ultimum eſſe non poſſe. Ipſe namque continuus hic progreſſus, quid eſt aliud, quàm via finè termino, finè fine? & amabò quis prudens viator continuo progredi, quis ſtadiodromus currere duntaxat volet, ſi nunquam viæ & curſûs attingere terminum detur, & bravium? in alio ergo finis conſtituatur, neceſſe eſt.

7. **Q**UÆRES V. *Quæ ergo tandem vera ſit hominis beatitudo & finis?*

**R**Imò: *Finis qui & beatitudo objectiva hominis eſt ſolus Deus.* Sicut enim à Deo omnia proficiſcuntur, ità par eſt ut ad Deum tanquam ad ultimum finem omnia tendant, quia uti *Alpha* eſt ſeu principium, ità & *Omega* eſt ſeu finis. Itèm per Ariſtotel. 1. 1. *Eth. c. 10. finis & beatitudo eſt ſecretis malis omnibus cumulata bonorum omnium poſſeſſio vel ut Boët. 1. 3. de conſol. Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* atqui hæc habentur per ſolum Deum; ergo. *Solus enim Deus tale bonum eſt, in quo ſtabiliter bona ſunt, quorum poſſeſſione homini undequaque eſt bene. Solum, ſufficiens,*

*Seu Moralem Philosophiam pertinentia. 7*

*ciens, unipersule, infinitum, sublativum omnis indigentia, continens eminenter bona omnia reperibilia in creaturis, & alia quæcunque possibilia, ergo.*

**8. R.** *2dò finis quo seu fruitio, & possessio, dicta beatitudo formalis consistit in cognitione, & amore, quibus Deus possidet. Satis id clarè ex ipso Aristotele statuente operationem perfectissimam Deique operationibus simillimam eruitur l. 1. Eth. c. 7. & probatur. Beatitudo formalis est, quâ obtinetur, & possidetur objectiva, atqui hoc fit per cognitionem & amorem; per cognitionem enim Deus ut infinitum verum, per amorem ut tale bonum ab homine, ut homine id est rationali ut tali, per potentias rationales possidetur. ergo.*

**9. Q**UÆRES VI. *An etiam pro statu naturæ puræ, & præscindendo à statu elevationis ad finem supernaturalem, Deus esset finis qui cognitio ac amor finis quo naturæ rationalis?*

**R.** *Affirmativè: appetitus enim naturæ rationalis talis esset, qualis modò est; bona creata essent defectuosa tunc ut nunc. Deus autem ut Author naturæ omnia contineret ut modò, ergo. Possideretur autem Deus in illo statu cognitione abstractiva in suo tamen genere clara & perfecta, ex qua manasset amor Dei itidem naturalis, ita tamen*

8 *Quæsitæ Præliminaria ad Præcticam*

perfectus, & securus, ut absolutè satiaret ; exclusisset enim omnem anxietatem & desiderium; sicut hîc & nunc beati non anxiantur, neque anhelant gloriam altiozem.

**Q**UÆRES VII. *An independenter à fide & rationibus Theologicis per Philosophiam lumine naturæ possimus assequi, dari post mortem hominum vitam aliam?*

**R.** Affirmativè: apparet primò ex animæ spiritualitate, quæ cum non habeat contrarium, naturaliter incorruptibilis est, & ideo vivit semper. 2dò nisi daretur vita altera, & in hac tum pœna, tum præmium sæpius scelestissimi, & usque ad ultimum halitum v. g. blasphemantes essent felicissimi: quia nulla eos maneret pœna nec in vita altera, quæ non esset: nec in præsentî, in qua usque ad finem fuissent scelerati. Summè virtuosî verò essent sæpe miserimi: quia sinè præmio in hac vita, & etiam in altera, ergo. Docuit idem Plato in Phædone: *grave periculum putandum est, si quis neglexerit animam. Si enim mors totius hominis dissolutio esset, nimium improbi lucrarentur: cum & à corpore & ab eorum pravitate cum anima liberarentur, nunc autem cum anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla animæ salus; nisi ut optima fiat.* Huc facit etiam aliorum gentilium de vita al-



*Seu Moralem Philosophiam pertinentia. 9*

altera sensus, qui independenter à Christi revelatione eam dari affectuti sunt ratione. Hinc *Phocylides* in præceptis suis: *anima autem immortalis & insensibilis vivit per omne tempus.* *Pythagoras*: *ubi derelicto corpore ad liberum æthera perveneris, eris immortalis.* *Socrates*: corpus carcerem esse dicebat, unde cum emerferit, tum demum sui juris esse, multoque quam antea felicius vivere. *Solon*: *Nemo, quoad vivit, felix, finis est expectandus*, ille scilicet, ut ex perfecta virtute operans secundum rationem vitam defungatur. Omitto sexcentos *Gentilium* aphorismos, & axiomata pro vita futura stantium. Quod si autem, ut minimè dubium est, profectò datur, ut quid vivimus, velut vitæ ignari futuræ?

**II. QUÆRES VIII.** *An felicissimæ tranquillitatis in vita altera futura, aliquis in vita præsentis possit haberi prægustus?*

**R.** *Posse: si quis videlicet compositis animi turbulentis moribus & passionibus tranquillè atque quietè, contentusque vivat juxta Ethicæ institutionem, qualem vitam, cum pluribus descripsisset Senec: de vita beata c. 3. subjungit: Intelligis sequi perpetuam tranquillitatem, & libertatem depulsis iis, quæ aut irritant nos, aut territant. Felices ejusmodi animæ* (asserente id *S. Gregorio*

10 *Quæſta Præliminaria ad Prædicam*  
in Job. l. 4. c. 39. ) eam quietem, quam per-  
cipere in æternitate deſiderant, hîc jam per tran-  
quillitatem mentis deguſtant. Cœlum videlicet  
ipſæ egregio ſibi labore fabricant innube  
ſemper & ſerenum.

12. **Q**UÆRES IX. *An & quæ media ad  
hunc finem conſequendum ?*

**R.** Fine præſtituto ab Authore naturæ me-  
dia ad hunc conſequendum neceſſaria  
utique erant ſtatuenda. Medium tale verò  
eſt lex naturæ, per quam innotescit rationi  
quid faciendum, quid omittendum, ut ad  
finem præfixum quis pertingat. Quòd quia  
fit per actiones ab homine profectas, ſequi-  
tur eaſdem etiam eſſe medium, quò ad fi-  
nem præfixum tendimus.

13 **Q**UÆRES X. *Quotuplices ſint hæ actio-  
nes ſeu actus ?*

**R.** Multiplices. Alii ſunt *humani*, id eſt eli-  
citi cum plena advertentia, alii actus ho-  
minis, qui ſinè illa advertentia eliciuntur.  
Rurſum alii ſunt actus intellectûs, alii vo-  
luntatis, & hi vel eliciti vel imperati. Impe-  
rati verò partim ſunt in aliis potètiis, partim  
in voluntate. *Interni* qui ſunt intra animam,  
*externi* potentiaram externarum. Iterum  
dividuntur in actus *voluntarios*, qui proce-  
dunt cum cognitione alicujus finis, & in  
*involuntarios* qui ſunt ſinè hac cognitione,  
præ-

*Seu Moralem Philosophiam pertinentia. 11*  
præterea *voluntarii*, vel sunt *necessarii*, ut est  
amor in beatis, vel *liberi*. *Liberi* verò tum ad  
contraria, tum ad contradictoria. Porro  
alii sunt actus *naturales*, prout oppositi acti-  
bus, qui sunt *morales*, *morales* alii sunt *boni*,  
& *honesti*, alii *mali* seu *turpes* *inhonesti* &c.  
Plura de his Theologi, nobis breviter insi-  
nuasse sufficiat.

14. **Q**UÆRES XI. *Unde desumatur actuum  
moralitas, seu bonitas, & malitia mora-  
lis, non tantùm dependenter à Theologia, sed etiam  
à Philosophia morali?*

**R.** Desumitur ab habitudine & ordine ac-  
tûs ad suam regulam, cui si est confor-  
mis dicitur *bonus*, *honestus*, *laudabilis*, *virtuo-  
sus*, quin & ipsa *virtus*. Si est difformis di-  
citur *malus*, *inhonestus*, *turpis*, *peccaminosus*  
&c. Hæc verò regula non est suasio  
aliqua, aut monitum, aut consilium; talibus  
enim sinè peccato obtemperare vel non ob-  
temperare pro libitu quis potest; sed in-  
telligitur per regulam lex aliqua verè obli-  
gativa ad faciendum vel omittendum hoc  
vel illud. Duplex hæc regula est: *prima* id  
est lex æterna, imparticipata &c. *2da* &  
*proxima*, quæ est applicatio regulæ *1mæ*,  
estque ipsum omnino dictamen rationis  
seu iudicium prudens & practicum dictans  
hoc vel illud esse præceptum vel prohibi-  
tum,

12 *Quaestita Præliminaria ad Præcticam*  
tum, vel docens: quid cuique respectu Dei,  
respectu sui, & proximi agendum vel omittendum sit. Hoc dictamen rationis aliud est *universale*, aliud *particulare*. *Universale* quod etiam vocatur *synderesis* est: quò judicamus aliquid esse licitum vel illicitum secundum se & in communi. Pertinent huc prima principia practica v. g. *bonum est faciendum, malum est omittendum*. *Particulare* dictamen rationis, quod aliter, & propriè vocatur *consciëntia*, & est illud: quò judicamus non tantum in genere sed in determinatis circumstantiis aliquid licere, vel non licere. Dicitur autem consciëntia hæc *recta*, si recte, *erronea*, si cum errore, *dubia* si in dubio iudicium ferat. Hoc etiam de consciëntia adverte, quòd ante actum sit Dux, & Magistra dictans quid liceat, quid non. Hinc Epictetus: *Parentes pueros nos Pedagogo tradiderunt, qui ubique observaret nè lederemur; Deus autem etiam viros nos insitæ consciëntiæ custodiendos tradit*, apud Stob. sermon. de consc. 2. in ipso actu consciëntia agit testem. Indè Isocrates ad Demonicum: *Nunquam sperare debes, si quid turpe feceris te latiturum; quamvis enim lateas alios, tute tamen tibi conscius eris*. Nempe ipsa consciëntia mille testes Philipp. Benald. comment in Cic. 3. Post actum consciëntia agit Judicem, &

*Seu Moralem Philosophiam pertinentia. 13*  
& tortorem, nimirum illa virtutum nostrarum trutinatrix, illa vitiorum insectatrix, & carnifex, quâ Judice nemo nocens absolvitur. Idem ibidem.

15. QUÆRES XII. *Quid sit virtus?*

**R.** Juxta Aristotelem 2. Eth. c. 6. virtus est habitus, qui bonum facit halentem, & opus ejus bonum reddit. Sic posita definitio convenit virtutibus etiam intellectuabilibus. Alia ejusdem Philosophi definitio est: *virtutem esse habitum electivum in mediocritate* (vitando nempe excessus & defectus in omni materia) *consistentem prout prudens ratio dictaverit*, ita convenit virtuti tantum morali, eligere enim est voluntatis solius.

Præplacet hæc definitio præ illa, quam assignat Thümmigius in citatis Wolffianis institut. Philosophiæ practicæ universalis c. 5to. §. 49. *virtus est habitus actiones suas legi naturali conformiter dirigendi*. Vel enim intelligit per ly *legi naturali conformiter* actiones à lege naturæ præscriptas: vel actiones quæ non repugnant legi naturali. Neuter autem sensus subsistit. Primus non: quia actiones etiam aliæ quas lex naturæ directè non præscribit, sunt revera virtutes, ut sunt actiones elicitæ non ex præcepto, sed consilio. Neque subsistit sensus posterior: quia inter illa, quæ non repugnant legi naturæ sunt etiam

14 *Quæſita Præliminaria ad Prædicam*

tiam permiſſa jure naturæ; permiſſa autem hoc ipſo non ſunt ſtatim virtutes; ergo ci- tata Philoſophiæ definitio virtutis non con- venit omni & ſoli; igitur non eſt bona.

16. **Q**UÆRES XIII. *Quid ſit vitium?*

**R.** Vitium eſt *habitus, quô malè vivitur; nempe* in actu primo inclinativus poten- tiarum ad actus ex objecto intrinſecè malos ſeu diſconvenientes ſuæ regulæ. *Intellectua- les* quidem vitioſi habitus difformes ſunt objecto, *morales* rationi. Hoc ſpeciati- m de vitio advertendum quòd omne vitium teſte D. Auguſt. l. 3. de lib. arb. c. 14. *eo ipſo quod vitium eſt, contra naturam eſt.* Hominiſ nimirum ut homo eſt, id eſt, ut rationalis eſt quia adverſatur vitium virtuti, id eſt bono perfectivo hominiſ ut homo eſt, ſicut calor adverſatur bono perfectivo aquæ nempe frigori. Eſt itè m vitium contra rationem ſeu dictamen rationiſ, ergo, contra hominiſ ut rationaliſ eſt; ergo. Infert proinde ipſi ſibi violentiam, contra ſe ipſum pugnat, ſibi hoſtiſ eſt, quicumque vitio indulget. O amentiam!

17. **Q**UÆRES XIV. *Quid ſit præmium? quid pœna?*

**R.** Præmium quaſi prævium, ut quidã vo- lunt, & præviè propoſitum munus, ho- nor aut felicitas eſt, quò à malo abſtrahimur

omit-

*Seu Moralem Philosophiam pertinentia. 15*  
omittendo, & ad virtutem recteque agen-  
dum allicimur.

Pœna è contra est noxæ vindicta, vel fu-  
sius: est supplicium, quò quis ob delictum  
afficitur. Oportet autem in communitate  
& præmia statui & pœnas; hinc Socrates  
interrogatus, quænam civitas ritè governari  
possit, respondit: *cùm boni invitantur  
præmiis, injusti dant pœnas.* Apud Plutarch.

18. **Q**UÆRES XV. *An dari præmium & pœ-  
nam in vita altera per Philosophiam e-  
rui possit? vel an supposito statu elevationis solum  
Christus (ut in citatis institution. Wolffianis asserit  
Thümmigius) motiva rectè agendi sic desumenda  
docuerit?*

**R.** Præter dicta numerò 7mò independen-  
ter à statu elevationis & doctrina Christi  
etiam per rationes & principia Philosophica  
eruitur dari præmia & pœnas in vita  
altera. Ratio est: cum natura rationalis non  
sit absque lege, sed efficaciter & universa-  
liter obligetur ad bonum faciendum ma-  
lum omittendum, igitur præmium etiam  
sufficienter alliciens & pœna sufficienter re-  
trahens omnino requiritur; alioquin sine  
ejusmodi aut pœna aut præmio inefficax erit  
obligatio. Præmium verò temporale certè  
non semper est proportionatum, nec suffi-  
cienter alliciens ad actus difficillimos *v. g.*  
ad

ad tormenta, mortemque ipſam, præ peccato v.g. blaſphemiæ, eligendam. Imò omnia dabilia præmia temporalia contemnenda ſunt præ peccato; ergo præmia dari alia in vita altera neceſſe eſt; Nè maxime virtuoſi ſint infeliciffimi, atque ſinè præmiotum in hac, tum in altera vita, & (ut ſuprà dictum) ſceleſtiffimi evadant feliciffimi, quia ſinè pœna, tum in hac, tum in altera vita. Veteres rurfum gentiles de pœna & præmio vitæ alterius ſenſiſſe aliquid certè firmat, communis quidem luſio Poetarum circa campos Elyſios ſtygem & tartarum; quæ tamen re ipſa & extra fabulam circa vitæ alterius pœnas & præmia inſuit opinionones. *Maximum verò*, ait Tuſcul. I. I. *Tuſcul. argumentum eſt: naturam ipſam de immortalitate animorum judicare: quòd omnibus curæ ſunt, & maxime quidem quæ poſt mortem futura ſunt. Nemo unquam ſinè magna ſpe immortalitatis ſe pro Patria offeret ad mortem.* Ergo independenter à Chriſti revelatione ratio humana conficit dari pœnam & præmium in vita altera. Notanter id animò tenendum eſt; Nè ſi dumtaxat pœnas, & præmia à Chriſto revelante deducimus ſæpius in decurſu juris naturæ, & Ethicæ ab Orthodoxa doctrina deſlectamus.

Atque





# PRÆFATIO

## AD LECTOREM.

**E**tsi me non lateat longè diver-  
sam à Philosophia esse Juris-  
prudentiam, quia tamen Philosophi est,  
ea universim pertractare, quæ lumine  
naturæ ratio assequitur; igitur in præ-  
lectionibus Philosophicis, Philosophiæ  
moralis meritò circa illa etiam versa-  
ri placuit, quæ ex justitia lumen natu-  
ræ præstanda insinuat, seu jus natu-  
rale, atque non ea duntaxat persequi,  
quæ sacræ rationi sunt consentanea, ut  
quod Ethicæ monasticæ, Politicæ, & Æ-  
cono-

conomica munus est; sed & illa, ad quae agenda stricto quisque jure tenetur, distante illi legem naturae. Utique labor hic tantò magis etiam proprius Philosophiae videretur, gentiliùm à potiorum Philosophorum aphorismis firmare libuit veritates, pro quibus alioquin plurima suppetebat etiam SS. PP. Auctoritas. Quod si nihilominus nimium adhuc cuiquam religiosè circa Philosophiam & jus naturae videatur procedi, is ex eo ipso statuatur, quam arte S. Religio, sanàque Philosophia, & jus naturae connexa sint. Utinam & te Lector benevole non Speculativè modò, sed vel maximè in praxi connectantur! Hic finis praesentis est operellae, hic scopus, nimirum ipsum juxta Aristotelem L. 2. Eth. c. 2. praesens tractatio non est speculationis causâ - - sed ut boni efficiamur.

*Seu Moralem Philosophiam pertinentia. 17*

Atque hæc præmittenda censui tanquam universalia prolegomena, ut reliqua deinceps capita utili notitia comitentur.

# PARS I.

## DE FUNDAMENTO Philosophiæ Practicæ.

Seu

*De Jure & Lege naturæ.*

**U**Tilissima juxta ac pernecessaria juris naturæ notitia mare est sua amplitudine & vastitate, quod ut superemus commodiùs in rivulos dispeſcemus. In capita nempe quatuor acturi Capite 1mo de jure & lege naturæ in genere. Capite 2do, ad quid obliget lex naturæ respectu Dei seu de officiis debitis Deo. Capite 3tio de officiis ex jure naturæ sibi met ipsi debitis. Capite 4to de officiis eodem jure naturæ debitis proximo.

B

CA-

## CAPUT I.

De Jure, & Lege naturæ  
in genere.

1. **Q**UÆRES I. *Quid sonent hi termini  
Jus & lex naturæ?*

**R.** Omissis aliis acceptionibus verbi, *jus* dico hîc illud sumi, prout significat *jussum* quasi in terminis dicens: *Jus sum*, adeoque prout aliquid jubet vel agere vel omittere. Ità ut *Jus* & *Lex* hîc sonent idem. Sumitur itèm ly *Jus* pro ipsa Jurisprudencia seu pro facultate, quæ tractat de jure & legibus, quo etiam nomine subinde à nobis hîc in decursu usurpabitur.

*Lex* quasi *lux*, illuminat quid agere vel omittere oporteat. Sic dicta, ut putant aliqui, à legendo quòd sit legibilis, seu scripta in tabulis, seu in cordibus. Vel, ut aliis placet, derivatur *lex* à ligando: quòd liget & obliget humanam libertatem, & ità determinet ad alterutrum ex contradictoriis. Dicitur autem *Jus* & *Lex* in numero singulari, non quasi plures tales leges, & jura parti-

ularia non darentur; sed ideo: quia omnes leges, & jura naturæ sumuntur collectivè, quasi essent *una lex & jus naturæ*.

*Natura* sumitur pro creatura rationali ut rationalis est, & dicitur *lex naturæ* tum: quòd obliget naturam rationalem ut talem, tum: quòd in natura rationali & sana ratione (non in homine inferiore seu sensuali) quid à nobis agendum vel omittendum, ceu in tabula exhibeat. Hinc Cicero de illa: *quam non didicimus, sed ex ipsa natura hausimus, ad quam non docti sed facti.* Orat. pro Mil.

2. **Q**UÆRES II. *An revera detur lex & jus naturæ?*

**R.** Et si nonnulli cum Corneade omnia dimensi sint ex utilitate propria non ex jure; dari tamen re ipsa legem in natura. Afferente id ipsum Aristot. l. I. Rhet. ad Theod. c. 13. à quo communis evincit hominum consensus legem hanc dari universim consentientium. 2. Nunquid ipsa sana ratio apud homines ut ut Barbaros, Scythas & Getas, divinis revelationibus destituta adhuc discernit inter bonum & malum & quædam agnoscit honesta, quædam turpia, itè agnoscit obligationem tendendi ad felicitatem per media honesta, seu actiones honestas; ergo hoc ipso agnoscit etiam legem

gem obligantem. 3. Dari liquet etiam remorsu, & verme conscientia, qui labornat animum saepe, licet à summis, adeoque nulli alteri mortalium subjectis iniquè actum sit, qui certè non esset torturus, nisi legislatoris cujusdà lex aliqua esset violata. Ergo datur.

3. **Q**UÆRES III. *Quæ sit definitio legis & juris naturæ?*

**R.** 1. Aristoteles apud Magn. Schmier l. 1. Tract. 1. c. 2. Sect. 1. §. 1. Jus naturæ esse dicit: *quod ubique vim habet eandem, & non quia videtur, vel non videtur.* Cicero l. 2. de inv. naturæ quidem, ait, *jus est quod non opinio genuit, sed innata quædam vis asserat, ut religionem, pietatem, vindicationem, veritatem.* Justinianus Imperator in § 1. Inst. de J. N. Get. C. *naturalia jura quæ apud omnes gentes peræquè custodiuntur divina quadam providentia constituta semper firma, atque immutabilia.*

Respondeo 2. Congruentiùs definietur, quod, ut est in homine sit lex naturæ signum voluntatis divinæ obligantis per dictamen rationis propositæ. Adeoque lex naturæ consistit formaliter in dictamine rationis practico, non ut præcisè indicat bonum, vel malum, sed in quantum tale dictamen intimat & significat voluntatem superioris (Dei videlicet) obligantis seu ad actionem

dem, seu ad omissionem, id est seu præcipiē-  
tis, seu prohibentis. Probatum definitio com-  
muni omnibus definitionibus argumentō;  
convenit omni, & soli. Ergo est bona.

4. Neque dicas Imo cum Thūm-  
gio in institutionibus Philosophiæ Wolffia-  
næ Philosophiæ practicæ c. 2. §. 24. legem  
naturæ esse ipsam naturam; *regula ista, quæ  
præcipitur adiones ad perfectionem nostram ten-  
dentes esse committendas, quæ verò ad imperfec-  
tionem tendunt esse omittendas, est lex ipsa re-  
rum natura constituta, quam ideo legem natura-  
lem salutamus.* Probatum A. aliqua prohi-  
bentur: quia mala sunt, & aliqua præcipiun-  
tur: quia bona sunt, ergo in natura ipsa est  
honestas & turpitudine. Ergo lex. 2dò cum  
Justiniano & Ulpiano in pr. instit. de J. N.  
G. & C. & L. Juris I. §. 3. ff. de J. & J. Jus  
naturæ est, quod natura omnia animalia  
docuit, etiam bruta. Apes enim v. g. & ca-  
nes ita agunt dexterè, ut ex dictamine ra-  
tionis agere videantur, ergo. 3tio cum Hu-  
gone, Grocio & sequacibus in tract. de J. B. &  
P. l. I. c. I. n. 10. Jus naturæ est congeni-  
tum naturæ rectæ rationis dictamen indi-  
cans: quæ naturæ rationali consentanea, quæ  
dissentanea ergo, prob. A. Hoc dicta-  
men innuit, & exhibet quid sit agendum  
vel omittendum. Ergo.

**R.** Ad I. N. A. & tum citatum Wolffianum paragraphum, tum alios afferentes in eodem opusculo locis diversis naturam esse legem naturæ. Ratio negandi est imò: quòd dicat Apostolus ad Rom. 2. vers. 14. *legem naturæ esse inscriptam in cordibus hominum*, & Ethnicus etiam Seneca ad Lucilium ep. 65. *quòd jus naturæ est impressum, inditumque cordibus nostris*; ergo natura potius est subjectum legis non ipsa lex. 2dò lex naturæ est vera lex, adeoque verè ab aliqua superiore potestate procedit. Hoc autem nequit esse ipsa natura, cùm illa obligetur lege naturæ; aliàs natura erit obligans & obligata, superior, & inferior; quod utique implicat; ergo. 3tò! natura creata nec est, nec esse potest prima regula *indefectibilis, immutabilis, universalis, & norma moralitatis*, quæ sunt conditiones legis naturæ, ergo nec est, nec esse potest ipsa lex naturæ. A. patet C. tenet; ergo. 4tò licèt perspecta sit multis natura; non est tamen hoc ipso nota iisdem tota lex naturæ: cùm possint quædam leges naturæ inculpabiliter ignorari. Ergo lex est aliud quid à natura. 5tò omnis lex debet esse actus secundus tum in legislatore volente & obligante, tum in subdito obligationem suam actu in actu 2do intelligente; natura autem constituta est actus tantùm pri-



primus; ergo malè naturam constitutam loci citatis seu Wolffius, seu Wolffianarum Institutionum collector Thümmigius legem naturæ salutant.

Ad prob. D. A. Quia bona vel mala sunt remotè, & radicaliter C. A. proximè & formaliter N. A. D. Similiter C. ergo in ipsa natura est honestas & turpitudò remota & radicalis c. Cõ. proxima & formalis N. C. Hoc verum est, aliquod esse fundamentum honestatis vel turpitudinis in rebus ipsis; sed *qui bene distinguit, bene docet.* Hoc tamen fundamentum & fundamentalis honestas vel turpitudò aliter dicta radicalis & remota, non est ideo lex ipsa statim dicenda. Sed exigit legem à Deo poni, quà præcipiatur vel prohibeatur. Et certè, si ex hoc, quod res habeat ad aliqua convenientiam, ad quædam disconvenientiam inferretur in ipsis rebus & naturis esse legem, facilè inferretur etiam in Deo, utpote etiam convenientiam, & disconvenientiam ad quædam habente, dari legem. Quod utique non subsistit; ergo. 2dò Fundamentum ejusmodi non est ipsa propterea lex. Sic indigentia pauperis est fundamentum legis de danda eleemosyna, & non est ipsa lex; ergo à pari; ergo fallit Wolffiana definitio legis naturæ.

Infer præterea: posita lege naturæ in ipsa

natura, quòd frustra laborabit seu *Wolffius*,  
 seu Thümmigius convertere ad frugem  
 Atheum viventem licentiosè redarguendo  
 eundem, ut legere est ejusdem Philosophiæ  
 practicæ Wolffianæ c. 2. §. 21. & 22. quòd  
 negatò etiam Deò adhuc maneat obligatio  
 naturæ. Adeoque quòd *Atheus ipsam hominis  
 naturam exuere debeat, si istiusmodi licentia lo-  
 cum esse velit Ibidem.* Etsi enim naturam con-  
 stitutam habere videat Atheus convenien-  
 tiam, & disconvenientiam ad quasdam  
 actiones; minimè tamen admittet se ideo  
 obligari: quia naturam etiam sic cognitam  
 meritò non agnoscit esse superiorem, nec  
 se inferiorem. In alio ergo lex naturæ sta-  
 tuenda est; aliàs pauci Athei opusculò &  
 labore Wolffiano convertentur.

Ad 2dum N. A. Agunt enim bruta po-  
 tiùs ex quadam necessitate naturæ ad unum  
 objectum alligata, non ex libera electione;  
 sed ex quasi impressa motione ad finem à  
 natura præfixum. Cæterùm si quæcunque  
 inclinatio esset juris naturæ & lex naturæ,  
 etiam in aqua esset jus & lex ad habendum  
 frigus. Quod nemo dixerit. Rectissimè hic  
 Plato: *nostra terra ex omnibus animalibus ho-  
 minem genuit, qui cæteris intelligentiâ præstat,  
 solisque jus ac Deos animadvertit.*

Ad 3tium N: A. quia præter rationes a-  
 lias

has, tale dicitur. Stamen non constituitur actu & autoritate superioris, à natura enim rationali provenit, quæ utique se ipsa non est superior & inferior, ergo. Probarioni C. A. N. C. Sola exhibitio & ostensio boni vel mali non est hoc ipso obligativa, nisi interponatur autoritas, & voluntas legislatoris aut præcipientis, aut vetantis. Est nempe lex naturæ, ut ait Cicero l. de Rep. *quæ vocat ad officium, non quomodocunque sed jubendo & vetando.*

6. **Q**UÆRES IV. *Quis sit author legis naturæ?*

**R.** Ipse ille, qui est Author totius naturæ, qui, cum naturæ conditæ constituit finem media etiam, ut decerneret, erat necesse. Medium verò tale utique est lex naturæ, quæ ea præscribit, sinè quibus ad finem perveniri non potest. ergo. *Quis, ait S. Augustinus serm. 2. de serm. Dom. in monte legem naturæ in cordibus hominum scribit nisi Deus? Agnovère id ipsum etiam gentiles nam scribit apertè Seneca: quòd jus naturæ sit à Deo tanquam Authore naturæ impressum, inditumque cordibus Epist. 65. Itè Cryspus: non potest inveniri principium aliud & origo justitiæ quàm ab Jove, indè enim initium duci debet, ubi de bonis, malisque differendum est l. 3. de Diis.* Consentit etiam Cicero consignans

manifestè l. II. de legibus, de lege naturæ  
 quam Dii humano generi dederunt, neque  
 aliquod esse duntaxat populorum; insuper  
 sapientissimorum fuisse sententiam, ibidem.  
 dum Cryfippus de Jove, Cicero de Diis  
 ferit, errat duntaxat ille in nomine, iste in  
 numero, re ipsa ambo ex principiis Philo-  
 sophicis Deum legis naturæ Authorem ag-  
 noverunt; ergo Deus est Author naturæ.

7. Neque dicas: Authorem legis naturæ  
 posse statui gentes & nationes in eandem  
 legem universim consentientes; ergo non  
 Deum.

Respondeo enim N. A. etiam si enim gen-  
 tium consensus universalis haud dubiam fir-  
 met sententiam rem hanc vel illam esse præ-  
 ceptam aut vetitam jure naturæ, juris ta-  
 men naturæ Authores esse non possunt: quia  
 si per consensum gentium lex naturæ posset  
 statui, posset per consensum gentium etiam  
 tolli, per easdem videlicet causas destrui,  
 per quas nata esset, sed hoc non: quia quod  
 lege naturæ sanctum est, nullo quorum-  
 cumque populorum aut gentium consensu  
 est mutabile; ergo. 2dò homo inter sylvas  
 natus & educatus, adeoque ignarus consen-  
 sūs gentium, adhuc à lege naturæ illumina-  
 bitur, & obligabitur; ergo alius statuendus  
 est Author, qui universaliter & immutabi-  
 li-

liter legem illam animis præscribat. —

8. **Q**UÆRES V. *An quis hoc ipso quòd agat contra legem naturæ, agat etiam contra Deum, seu quod idem est, an detur peccatum purè Philosophicum quod sit contra dictamen rationis & non contra Deum?*

**R.** Non datur peccatum purè Philosophicum, seu non potest quis agere contra dictamen rationis & legem naturæ, & non agere contra Deum. Sequitur ex priori. Præterquam autem, quòd sentire contrarium vetuerit Alexander VIII. 24. Augusti A. 1690. dilucidatur ratione juxta tritum. *Qui offendit legem, offendit Regem* seu legislatorem, atqui legislator est Deus; ergo. 2dò cum voluntas agit contra rationem, attingit objectum ut illicitum, adeoque ut prohibitum ab ea videlicet voluntate quæ prohibere potest; sed hæc est Deus; ergo. 3tiò dictamen rationis præco est divinæ voluntatis, cujus est intimativum. Ergo qui agit contra dictamen à fortiori agit contra dictantem, nempe Deum, ergo. Advoco rursum gentile testimonium, nè sola in fide fundari videatur hæc practicæ Philosophiæ doctrina. Et verò clarissimè Hierocles ad mentem Pythagoræ: *idem est rationi parere, atque Deo.* Rursum Epictetus urgens observanda dictamina conscientiæ, quod NB. ejus  
neg-

neglectus & Deo displiceret & nostri ipsi hostes essemus; apud Stob. Caveat igitur Epicurus adversari legi naturæ & dicta rationis, nè adverteretur Deo, & non scripta, lex maximè innata, contra

9. **Q**UÆRES VI. *Quid sit hominem vivere juxta naturam?*

**R.** Juxta naturam vivere sensu vulgari est vivere, ut volunt sensus, & ad nutum appetitûs sensitivi seu, ut ajunt, juxta hominem inferiorem, qui ordinariè rectæ rationi solet adversari. Hinc Paulus: *sentio aliam legem repugnantem legi mentis*, ubi per aliam legem repugnantem intelligit corporis, & sensuum inclinationem, quæ ab Apostolo dicitur lex, nempe impropriè talis. Ità vero sequens sensuum illicia vitam vivit non juxta naturam hominum, sed brutorum; ità enim etiam illa absque ratione, quæ carent, feruntur in objecta, prout inclinant sensus, juxta quos cum vivere multos notaret *Diogenes*, hominem inter homines in foro Corinthi ipso meridie lampade accensa quæsit, tacitè innuens: destitui illos naturâ hominum, qui viverent more brutorum. Propriè & re ipsa hominem juxta naturam vivere, est vivere juxta rationem, seu juxta principia sanæ rationis, ità: ut ratio non serviat sensibus, sed sensus rationi; ratio

ratio enim sensum Domina est, non ancilla  
 vita propriè humana est, & juxta  
 naturam hominis ut homo, id est ut ratio-  
 nis est, quæ nempe ut loquitur Seneca ad  
 Lucilium epist. 75. ratio est qua homo antecede-  
 rit animalia, Deos sequitur.

o. QUÆRES VII. *Quæ sit materia juris naturæ, seu objectum materiale?*

R. Materia seu objectum legis naturæ est  
 omne illud quod convenit naturæ ra-  
 tionali, in ordine ad consequendum finem  
 ultimum, aut præcipi aut vetari ab Authori  
 naturæ; materia hæc dividitur in tres classes;  
 in 1ma sunt principia generalia v. g. *bonum  
 est faciendum malum est vitandum; oportet ho-  
 nestè vivere, neminem lædere, suum cuique tri-  
 buere.* Aut ut assignat Angelicus *vivere ex ho-  
 nestate, ex ratione, ex justitia & jure.* Itè  
 principia magis particularia quidem, sed  
 tamen ipsa quasi in terminis nota: v. g.  
*Deus est colendus, temperatè est vivendum  
 &c.* In 2da classe sunt illa, quæ ex præfatis  
 principiis universalibus eruuntur per dis-  
 cursum & consequentiam immediatè; ali-  
 qua quidem faciliùs, & à pluribus ut v. g.  
*furta, homicidia esse verita, & reliquæ ve-  
 ritates Decalogi.* In 3tia classe sunt iterum  
 veritates, quæ ex his secundis principiis  
 adeoque per longiorem consequentiam, &  
 dis-

discursum eruuntur, qualia sunt v.g. depositum est reddendum, secretum servandum standum promissis &c. Cùm hæc & similia in principiis universalibus contineantur, sequitur quòd cum principiis etiam generalibus tum præcipiantur, tum vetentur. Itèm tendunt ad eundem finem cum universalibus, nempe ad felicitatem naturæ humanæ, ergo ejusdem sunt juris & legis.

Eximius Suarez l. 3. de LL. c. 7. n. 3. etiam legis naturæ materiam esse putat subinde virtutes; in quantum videlicet ad earundem exercitium datur subinde obligatio; videtur enim aliquando esse exercendæ ex obligatione eò, quòd è virtutibus hominis rectitudo & debitus operandi modus tum respectu sui, tum aliorum confurgat.

II. **Q**UÆRES VIII. *Quæ sit forma seu objectum formale legis, & juris naturæ.*

**R.** Forma legis & juris naturæ est conformitas principiorum cum lege Dei, tanquam cum norma universalis, per quam illa quæ naturæ conveniunt vel disconveniunt, formaliter fiunt honesta aut inhonesta, justa aut injusta. Extrinsicam formam juris naturalis vocat Staphius: *dictamen, in quantum est promulgatio legis divinæ.* Licet autem hæc promulgatio in singulis fiat seorsim, nequaquam tamen censenda est esse particularis;



laris; sed ut advertit Suarez l. I. c. II. n. 4. de LL Est communis vox naturæ aut potius Authoris naturæ; quia dum loquitur lingulis, loquitur illis ut persona publica & communis, nempe ut Author naturæ.

12. **Q**UÆRES IX. *Quis sit effectus juris naturæ?*

**R.** Imò vera obligatio in conscientia sub præmio vel pœna. Probatur auctoritate S. Pauli ad Rom. 2. *quicumque sine lege peccârunt (nempe scripta) sine lege peribunt.* Ratio præterea est, quia lex naturæ est verè divina, ut ostensum supra, sed lex Divina sic obligat, ergo.

Effectus alius est, quòd non tantùm actus quosdam positos contra legem naturæ reddat illicitos, sed etiam invalidos. Invalidos nempe quando ejusmodi actus à lege naturæ sunt veriti vel imò *ob defectum potestatis ad hunc vel illum actum vel 2dò defectu materiae ad actum requisitæ, vel defectu consensûs in circumstantia erroris substantialis.* Vel 4tò si in actu *intercedat turpitude*, in ipso deinde effectu durans. Si verò horum quatuor nihil intervenit; potest actus jure naturæ esse quidem prohibitus, non tamen invalidus; quia illis quatuor rejectis habentur omnia requisita ad substantiam actûs, ergo

ergo potest esse prohibitus, non tamen invalidus.

13. **Q**UÆRES X. *Quæ statuuntur ab Authoribus principia, ut cognoscatur: an aliquid sit legis natura, seu unde desumendum censeant: an aliquid lege natura præceptum sit, aut vetitum.*

**R** Cum passiones congenitum rationis lumen multum obnubilent, merito ad dictamina rationis hæremus cum Virgiliano adolescente 9. Æneidos.

*Dii ne hunc adorem mentibus addant*

*An sua cuique Deus sit dira cupido.*

Statuendæ proinde quædam sunt regulæ, per quas certum fiat an contra, an juxta naturam agatur, quæ rectæ rationi propriè consentanea, quæ dissentanea sint.

Hugo Grotius de J. B. & P. in prolegomenis censet regulam ex qua desumatur, an aliquid jure naturæ præceptum, vetitum vel permissum sit, esse *socialitatem*, seu id esse juxta naturam & legem naturæ, quod ad conservandam humanam societatem deservit. Et id esse contra naturam, & legem naturæ, quod Societatem humanam, evertit.

tit. Rationes pro hac sententia sunt sequentes; imò quia homo per Aristotelem I. Polit. c. 1. & 3. est *animal naturâ suâ civile seu sociabile*, ut apparet non modò ex experientia, & sensibus; sed etiam ex facultate generandi, irascendi &c. Habet itè principia practica circa conatus alios juvandi, itè usum sermonis, nativam itè inclinationem ad mutuam societatem; indiget aliorum ope & operâ; &c. ergo (infertur) quod ordinatum est ad vitam socialem hominis, hoc maximè naturæ convenit, ergo socialitas est principium & regula juris.

Sed hæc & similia illorum argumenta nil probant aliud; quàm quòd socialitas sit conformis naturæ humanæ, & quòd suppositò Dei decretò de propagando humano genere socialitas suò modò sit necessaria, quòd ad hanc ritè instituendam natura humana legibus tum naturalibus tum positivis opus habeat. Non autem probatur, quòd socialitas unica sit regula, principium & radix prima legis & juris naturæ: ratio est: quia societas singulis absolutè præcepta non est, & potest homo vivere sinè societate, non tamen sinè lege naturæ; ergo socialitas omnia naturæ rationalis principia non includit, cum omnes quibus natura imperat,

C.

socii

socii esse nec velint, nec debeant. 2<sup>do</sup> homo principaliter obligatur, ut erga Deum se ritè habeat, deinde ut erga se ipsum, tandem ut erga proximum, ergo debet habere regulam & legem illuminantem, quomodo se erga Deum, & erga se ipsum habere debeat. Hæc verò lex aut regula tantò minus ex socialitate mensuranda est, quò minus officia hominis erga Deum & erga se ipsum ex Societate pendent. 3<sup>to</sup> plura sunt crimina jure naturæ vetita, & tamen societati humanæ minimè adversa: ita fuerunt, & sunt gentes Sociales, habentes inter se amicitiam, & pacem absque hoc, quòd jus naturæ servârint. Sic incestus saltèm in linea ascendentium primi gradûs, commixtio mulierum & corporum, adulteria, homicidia &c. sunt crimina jure naturæ prohibita; & tamen ut refert Puffendorff & ex illo Mag. Schmier l. 1. tr. 1. c. 2. sect. 2. §. 2. n. 82. *Persæ cum matribus, Ægyptii cum sororibus ineunt matrimonia.* Multis adulteria sunt res indifferens, Scythæ suos hospites Dianæ immolant. Itèm parentes annos sexaginta prætergressos jugulant. Lege Solonis licebat cuique Atheniensium suum filium necare. Lacedæmonii puniebant fures non propter furta sed quòd essent, deprehensi. Hæ ergo gentes inter se habue-

buerunt socialitatem, amicitiam, & pacem, & ut patet, non servârūt legem naturæ; ergo socialitas pro regula, radice prima, & principio justī vel injustī naturalis statuenda non est.

14. Alii cum Philippo Melanctone citato à Joanne Gröningo in Bibliotheca juris gentium l. 3. c. 2. putant integram justī naturalis doctrinam sumendam esse ex Decalogo, in quo Deus expressit voluntatem suam. Sed respondeo: cædit hoc asserto se ipsum hæreticus, impossibilia enim servatu esse dicit Dei præcepta, leges autem naturales vel ideo, quòd naturæ rationali commensurentur, possibiles servatu esse oportet, alioquin lex quàm ipsa hominum natura mentibus impressit contra naturam exponeretur. Et quis prudenter asserat? id quod recta ratio jubet, vel vetat, istud creatura rationalis facere aut omittere non potest. Cùm ergo Melancton, id quod Deus fieri aut jubet, aut vetat in Decalogo, servatu dicat impossibile; & nihilominus è Decalogo legem naturæ sumendam esse censeat, quòd sibi met ipsi contrarietur, quis non videt? Respondeo 2dò directè: quòd Decalogus talis regula, radix & principium esse non possit, unde infallibiliter & unicè inferatur, esse quid contra vel juxta naturá. Probatur: quia

gentes juxta S. Paulum ad Rom. 2do *quæ legem scriptam, adeoque quæ Decalogum, ignorant, adhuc tamen legem naturalem in sinu & pectore inclusam gerunt.* Igitur ad regulam atque principium aliud recurrendum est. Decalogus nempe est ratio à posteriori, atque instar promulgationis, & declarationis authenticæ, quâ edocemur: quid æquum vel iniquum sit naturaliter. Nequaquam verò Decalogus prima radix est & ratio à priori, ex qua universim, desumatur justum vel injustum naturale.

15. Thümmigius in Wolffianæ Philosophiæ institutionibus brevibus nodum, dissolvere sibi videtur instit. Philosophiæ pract. univ. c. 2. §. 29. ubi ità: *omnino affirmari potest actionum humanarum cum natura hominis convenientiam esse legis naturalis principium.* Est propositio tam vera, ut aliæ propositiones æternæ veritatis ab ipso in sæpius dictum opusculum supervacaneâ operâ congestæ. Sed sanè insufficientis, ut quietet intellectum scire volentem principium, ex quo cognoscam, quid juris sit naturalis? in hoc enim ipso cardo vertitur, quæ actiones humanæ cum natura hominis habeant convenientiam, quæ disconvenientiam. Nec satisfacit causalis alligatæ propositioni præmissa locò citatò. *Quoniam lex nature actiones ho-*  
*minis*

minis per rationes ab ejus natura derivatas determinat, illa determinatio naturæ convenire dicitur. Redit enim quæstio, unde queat sciri quæ rationes in ipsa natura aptè præponderent ad hanc vel illam determinationem? quæstioni huic responsum totò Thümmigii opusculò quæsi, non inveni; reperta autem apud alios tum solutione, tum utiliore, & hujus, & aliarum materiarum discussione, conclusi: id, quod Thümmigius de Wolffio superbè jactitat insit. Philosophiæ moralis sect. 2. c. 2. §. 90. quòd neque Aristotiles, neque ipsum secuta omnis Philosophantium turba eos fecerit progressus, quos Wolffio suo reservaverat providentia divina. Fallere nimisquàm fastuosè, & cum dicat nimis multùm, dicere aut parum, aut nihil.

16. **Q**UÆRES XI. *Quæ ergo tandem vera sit regula; radix prima, & principium, ex quo cognoscatur, quid juris sit naturalis, & quæ objecta jure naturali sint præcepta prohibita, aut permissa?*

**R.** Cum P. Ignatio Schwartz S. J. Juris naturalis & historiæ Professore bene merito. Institut. Juris naturalis P. I. Tit. 2. instruct. 3tia quæst. 4. Principium hoc ità videtur enuntiandum: *fac vel omitte ea, quæ ex amore Deo, tibi, & proximo naturaliter debito, hoc est ad felicitatem naturæ rationali*

*propriam necessario vel facienda vel omittenda sunt.*

Adeoque juxta datum hoc principium illud omne & solum seu graviter, seu leviter est jure naturæ præceptum, quod strictè vel minùs strictè exigitur ab amore Deo, Tibi, proximo, naturaliter debito, hoc est ab amore ad felicitatem naturæ rationali propriam necessario. Sic v. g. Dei cultus, respectu Dei, refrænatio passionum, respectu sui, succurrere proximo in extrema necessitate, respectu proximi, sunt jure naturæ præcepta, quia exiguntur ab amore, qui ad obtinendam felicitatem & pacem cum Deo, secum ipso & proximo naturaliter debitus, & absolutè necessarius est. Negato enim cultu, Deo, passionibus non frænatis, negatò auxiliò in necessitate proximo, evertitur amor his debitus, neque pax cum illis obtinetur; ergo.

Illud verò omne, & solum est jure naturæ graviter, aut leviter prohibitum, quod graviter, vel leviter repugnat, & adversatur amanti Deo, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam necessario. Sic blasphemia respectu Dei, mutilatio sui corporis, respectu sui (conservatio enim membro-



brorum spectat ad felicitatem hominis integram (furta respectu proximi, sunt prohibita jure naturæ, & graviter; quia repugnant amor, qui amor Deo, sibi, & proximo absolutè debitus, & necessarius est ad felicitatem, & finem, id est, ad pacem cum Deo, secum, & proximo habendam.

Quòd autem à præfato amore neque absolutè exigitur, neque huic amor absolute repugnat illud jure naturæ concessum, seu permissum est, sic emptio, venditio sunt permissa jure naturæ: quia præfatum amorem neque evertunt, neque ab eodem absolute exiguntur.

17. **Q**UÆRES XII. *Quanam ratione hoc datum principium declaretur?*

**R.** Dicitur 1<sup>mo</sup>: ex amore, & juxta exigentiam amoris, non autem sensitivi, sed rationalis: *qui est animi affectio, quæ quis sibi vel alteri bona cupit, ea procurando, & mala opposita amovendo, sic, ut in boni presentia malique absentia, veluti felicitate desiderata quiescat, & delectetur.*

2<sup>dò</sup> ex amore Deo, tibi, & proximo debito: quia his tribus exhibenda sunt officia. 3<sup>tiò</sup> debito, id est fundato in exigentia naturæ rationalis, itèm ex amore debito, id est ex amore justitiæ tum rigorosæ, tum minus rigorosæ, prout hæc justitia notat æ-

quitatem, quæ fundatur in debito naturæ, cujus justitiæ objectum formale sit honestas, quæ apparet, & relucet in tribuendo cuilibet bono naturaliter debito; adeoque non intelligitur amor quicumque benevolentia, aut amicitia, sed veræ justitiæ. Dicitur 4<sup>to</sup> ex amore necessario, qui sit nempe necessarius tanquam medium ad finem. An autem tanquã tale medium sit necessarius, indè colligitur: si servato hoc amore perveniatur, & neglecto hoc amore non perveniatur ad finem homini præfixum, & felicitatem naturæ rationali propriam. Dicitur 5<sup>to</sup> ad felicitatem naturæ rationali propriam, per quam intelligitur *boni fruitio vicujus homini undequaque bene est*. Hæc felicitas duplex est: alia integralis & secundaria alia substantialis, & primaria. Integralis dicit pacem cum proximo, & commoda tranquillæ vitæ externa, pacem secum ipso, & tum bona corporis extrinseca, tum bona animi, ut virtutes, scientias. *Felicitas substantialis* dicit pacem, & conjunctionem cum Deo per cognitionem videlicet, & amorem. Utriusque quidem felicitatis, integralis nempe, & substantialis amor intelligitur, sed cum debita subordinatione omniū bonorum integralium ad bonum substantiale,

tiale, quod solum totaliter, & plenè hominem quietat, & beatificat.

18. **Q**UÆRES XIII. *Quibus argumentis firmetur, quòd amor modò explicatus sit principium, mensura, radix, & regula, unde sciatur quid sit juris naturalis?*

**R.** Sequentibus: Amor supernaturalis est tale principium omnium legum divinarum ex Christi oraculo: *diliges Deum -- & proximum sicut te ipsum --* in his duobus præceptis universa lex pendet; & gentium Apostoli testimoniò: *amor est plenitudo legis*; ergo à pari, præsertim cū contineatur jus naturale in Divino positivo, ab eodemque firmetur & perficiatur; ergo amor naturalis est fundamentum legū naturalium. 2dò habet omnes conditiones requisitas. Imò est *primum*, omnia enim præcepta naturalia in hoc amore, ceu fundamento fundantur. Est 2. *unum* per subordinationem nempe omnium ad pacem, & conjunctionem cum Deo. 3. *naturæ intrinsicum*, ut patet: *est in se notum*, quis enim felicitatem non habet pro fine? amorem verò esse medium manifestant principia, quod tibi non vis fieri &c. *Est adæquatum*: quia extensum ad omnia præcepta. Est *proprium*: quia non qualemunque adstruit amorem, sed debitum, & modò suprà explicatò necessarium.

19. Quod si dicas: si finis legis naturæ est humana felicitas, nascitur jus naturæ ex utilitate, ergo non obligat. A. patet, probatur cons. Utilitati suæ quivis potest renuntiare; ergo ad illam non obligatur. 2dò ex jure naturæ non licet mentiri, etsi per mendacium felicitas seu propria seu reipublicæ obtineri posset; ergo malè ex felicitate principium Juris desumitur.

**R.** Ad 1mum A. Nascitur jus naturæ ex utilitate ab Authore naturæ præfixa in finem, & præcepta C. A. ab utilitate abdicabili N. A. & Cons. Probationi D. similiter A. & n. rursus C. Instantia est à lege in Republica in bonum commune, & utilitatem lata. Ad 2dum D. Cons. malè desumitur ex felicitate particulari sinè subordinatione & respectu ad universitatem naturæ totius C. cons. cum hac subordinatione malè ex felicitate desumitur N. c. Si quocunque casu liceret mentiri, vergeret id in totius naturæ præjudicium, & corruptionem (de quo pluribus infra in officiis de sermone) bono autem communi totius naturæ utique privatum seu suum, seu unius tantum Reipublicæ præferendum non est; ergo non malè à felicitate, sed universæ naturæ, hoc principium desumitur. Adverte autem: quòd naturæ totius felicitas in  
jus-

juslibet etiam privati tanquam membri totius universi utilitatem redundet. Etsi apparenter eidem videatur repugnare.

2o. Si contra datum principium objicis 2dò: as alienum solvere tenemur jure naturæ, & non tantum ex charitate, seu amore; ergo amor non est radix & principium universale Juris naturæ. 2dò per ly *amor* in dato principio comprehenditur etiam amor sui, sed hic malè pro principio statuitur; ergo. 3tio multi observantes officia amoris respectu Dei, sui, & proximi, sunt tamen totâ vitâ miseri; ergo amor non est medium ad felicitatem sufficiens; ergo nec principium.

**R.** *Ad 1mum* D. alteram partem A. & non tantum ex charitate seu amore quocunque benevolentia aut amicitia C.A. ex amore justitia N.A. Similiter D. C. & N. C. *Ad 2dum* comprehenditur etiam amor sui subordinatus amori Authoris naturæ C.A. non subordinatus N. A. *Ad 3tium* D. A. sunt aliqui observantes officia amoris totâ vitâ miseri carendo felicitate vel potius spe ad felicitatem substantialem aliquando consequendam N. A. carendo felicitate integrali & secundaria subdist. carendo hac felicitate integrali per accidens ratione vide-

delicet amoris naturaliter debiti ex delicto hominum aliorum: quibus dicta officia præstita sunt) neglecti, C. A. carendo hac felicitate per se & ratione principii seu juris naturæ, quasi esset insufficientis ad hanc felicitatem procurandam N. A. & Conf. sic si quis (ut fervet legem naturæ) nolit dishonorare Authorem naturæ, & vitâ propterea omnique felicitate NB. integrali à Tyranno prietur, vitiô id fit Tyranni; amor tamen, & officia amoris in Authore naturæ adhuc felicitate substantiali & tantò liberaliùs remunerabuntur.

21. **Q**UÆRES XIV. *An detur ignorantia invincibilis juris naturæ?*

**R.** Imò: quoad prima principia & alia cum his evidenter connexa, non est possibilis etiam ad breve tempus ignorantia invincibilis juris naturæ in homine, rationis compote. Ratio est imò: quia alioquin natura in necessariis deficeret, mediis videlicet ad finem; & ità homo brutis esset inferior, Author naturæ injustus, malè providus &c. 2dò habet intellectus congenita principia ad veritatem, ergo & voluntas, & ferè à fortiori ad honestatem. Sapienter Augustinus in Psal. 57. *Deus naturæ legem in cordibus hominum scripsit, quam non sinuntur ignorare, ut esset, unde judicarentur.*

**R.** 2dò: datur tamen invincibilis ignorantia juris naturæ circa objecta alia responso priore non comprehensa. Ratio est: quia NB. absolutè necessarium ad felicitatem naturæ rationali propriam consequendam medium non sunt.

22. **Q**UÆRES XV. *Quàm sit varium jus naturæ?*

**R.** Dividitur multifariàm. In *absolutum* quod sinè supposita conditione v. g. non mentiri, Authorem naturæ amare; & *in conditionatum*, quod conditione supposita obligat. Pacta v. g. supposito contractu. Aliter dividitur in *affirmativum*, quod præcipit positionem actûs, & obligat quidem semper, non tamen pro semper v. g. colere Deum. In *negativum*, quod prohibet, & obligat semper pro semper v. g. non mentiri. Reductivè dividitur in jus etiam *concessivum*, quod positivè quædam concedit fieri. Et in *permisivum*, quod se negativè habet ad quædam, illa non prohibendo. Aliud itèm jus respectu Dei, aliud respectu sui, aliud respectu proximi obligatorium est. Respectu horum enim omnium certa officia à natura præcepta sunt, atque ità *nulla pars vitæ vacare potest officiò, in quo colendos omnis vitæ honestas, & in quo negligendo inhonestas sita est.* Teste Tullio l. i. de offic.

23. **Q**UÆRES XVI. *Quæ sint proprietates Juris & legis naturæ?*

**R.** *Unitas*, ratione finis unius ultimati. *Uniformitas*: quia eadem in omnibus, semper & ubique. *Universalitas*: quia omnes obligat. *Evidentia*: quia prima saltē principia non possunt ignorari invincibiliter. *Excellentia*, quia omnes aliæ leges seu divinæ seu humanæ in eo fundantur, & ex eo tanquam fonte derivantur. *Immutabilitas* NB. propriè talis: quia nec divinitus in hac lege possibilis est dispensatio. Indè rursum Tullius l. de Republ. sapienter de lege naturæ dixit: *non erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed & omnes gentes & omni tempore una lex, & sempiterna, & immutabilis continebit.*

24. **Q**UÆRES XVII. *In officiis seu Deo, seu tibi, seu proximo debitis, quis ordo servandus?*

**R.** *Integralis*, quæ est pax & tranquillitas secum ipso, & proximo, *alia substantialis*, quæ consistit in pace, & conjunctione cum Deo, ideo amor & officia debent subordinari. Pro hac subordinatione triplicem habere regulam.

*Regula I.* Officia hominis secundum ordinem amoris ad felicitatem necessariò subor-



subordinanda sunt. Hinc sicut amor sui præcedit amorem alterius NB. privati, ita & officia respectu sui, officia, exhibenda alteri, præcedunt. Et sicut amor sui non præcedit amorem totius communitatis, & sicut utriusque, videlicet sui, & communitatis amor non præcedit amorem Dei, ita nec officia.

*Regula II.* In officiis erga se cultura animæ præferenda est curæ corporis. Uti- que enim anima corpore præstat? in ipsa autem anima cultura voluntatis culturæ intellectûs, quia magis agendi, quàm speculandi gratiâ conditi sumus. Præferendum est igitur bonum morale, cujus voluntas est principium, bono naturali.

*Regula III.* Officia imposita non sunt sejungenda, sed tamen juxta normam amoris debiti naturaliter regulanda. Indè, quæ teneris exhibere officia cõmunitati, nõ sunt negligenda propter ea, quæ tibi debes; nec propter utraque officia, seu tibi, seu communitati debita, quæ Deo debes, fas est negligere. Sed quod si omnibus exhiberi omnia nequeant officia, ordo amoris seruetur. Hinc quia anima corpore præstantior, animæ potius, quàm corporis habenda cura est.

## CAPUT II.

## De officiis erga Deum.

I. **Q**UÆRES I. *Quæ Sint officia erga Deum, & quomodo dividantur?*

**R.** Præcipitur Religio erga Deum, in quantum lumine naturali Deus rationi innotescit. Hæc religio partes geminas complectitur: *Dei notitiam, & Dei cultum.* Utrumque fundatur in eo: quod Deus sit Creator, Conservator, Gubernator. 2dò in perfectionibus divinis præsertim Providentia Justitia &c. ex quibus conficitur Deum esse amandum, & colendum. Cultus rursus bifariam dividitur in *internum, & in externum.* De singulis seorsim.

2. **Q**UÆRES II. *Quid ratione Dei notitiæ ad nos pertineat ex jure naturæ?*

**R.** Imò Quia juxta Senec. ep. 95. *Primus Deorum cultus est Deos credere: deinde reddere illis Majestatem suam reddere bonitatem, sinè qua nulla Majestas est. Scire illos esse, qui præsentent mundo, qui universari sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. Igitur lex naturæ præcipit rectè de Deo sentire, & præprimis assentiri dari Deum contra Atheos.*

theos. Nullus enim ut habet Plato l. 10. de legibus ab adolescentia usque ad senectam in ea opinione, quod Dii non sint, perseveravit. Cicero L. 1. de legibus. Nulla gens est neque tam immanis, neque tam ferrea, quae non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Firmat praeterea veritatem lumine naturae notam esse: quod Socrates cum solum Deos negare velle videretur, gentili iudicio sit morti adjudicatus. Pythagoras, quod in libro suo disputaverit: an sit Deus? exilio multatus fuerit. Rationes de Dei existentia, quia dedit plures Philosophia Speculativa, hic plures afferre superfedeo.

Præcipitur secundò, acquirenda vulgari industria, notitia aliorum Dei prædicatorum; nè eiusmodi notitiae defectu, Deo quid negemus, aut alteri tribuamus, quod soli Deo proprium. Eiusmodi prædicatum est Dei unitas, quam lumine naturae esse affectos veteres Philosophos testatur Justinus Orat. Paræn. de pl. insig. nominatim de Aristotele testatur Seneca de vita beata sub finem. 2dò excellentia super omnes creaturas. Summa Dei perfectio sine imperfectione. &c. Id quod agnovit rursum Aristoteles lib. 6. de mundo ita scribens: Deus quidem, si vim spectes, valentissimus, si de-

corem, formosissimus, si vitam immortalis, si virtutem præstantissimus est.

Aliorum Dei prædicatorum notitia de essentia & attributis aliis ut ut naturæ rationali hæc conformis est, Theologiæ tamen, non Jurisprudentiæ naturalis materia est, eò: quòd iis ignoratis ad finem ab Authore naturæ præfixum, perveniri possit.

3. **Q**UÆRES III. *Quid præterea respectu Dei jure naturæ omnibus præcipiatur?*

**R.** Tendere per omnes actus ad finem ultimum, id est ad Deum, & ad conjunctionem cum Deo per cognitionem, & amorem obtinendum. Præceptum autem hoc quia est affirmativum, semper quidem obligat, sed non pro semper, sufficit igitur tendentia moralis, quæ in ipso opere honesto teste Suarez naturâ suâ includitur. Qui secus agit, agit inordinatè, id est: contra ordinem ab Authore naturæ omnibus præfixum. Deviat à fine & felicitate propria naturæ rationali.

4. **Q**UÆRES IV. *Quid ratione cultûs, & imprimis interni jus naturæ præcipiat?*

**R.** Ex Dei notitia fluunt actus Deo debiti, qui multiplices Dei perfectioni respondent. Omnium fundamentum est actus amoris, & quidem super omnia. Ex amore autem fluunt actus & officia honoris & re-  
ve.

verentiæ per laudationem, spei per invocationem, gratitudinis per gratiarum actionem timoris, obedientiæ &c. Quòd autem hæc & similia sint officia Deo debita naturaliter, liquet: Quia his negatis ad felicitatem naturæ rationali propriam, id est Deum, & ad pacem cum Deo, nemo pertinget.

5. Si dicas: Deus non indiget nostro cultu absolutè, ergo hæc officia, non videntur tam strictè, & naturæ jure esse præcepta.

Respondeo enim: licèt Deus his non indigeat; cùm tamen hominem Deus non possit non producere in bonum sui (alius enim finis Deo inferior, Deo indignus est) ideo ab homine producto hunc sui cultum, & hæc officia necessariò exigit. Nec fas est loqui, ut olim Demonax, qui accusatus quòd nunquam Minervæ sacrificâisset, reposuit: *nunquam putavi sacrificiis meis opus fuisse.* Erasmus l. 8. Apoph. opus enim revera est exigente irâ Deo, exigentiâ non quidem indigentia, sed perfectionis.

6. **Q**UÆRES V. *An, & cujusmodi cultus externi officia, sint juris naturæ?*

**R.** Affirmativè, signisque externis etiam colendum esse Deum, quibus videlicet interna in Deum officia testemur. Eiusmodi sunt obsequia debiti amoris, quæ faci-

cienda naturæ lumine dictat Author naturæ; puta: Deum laudare, invocare pro accipiendis, grates solvere pro perceptis beneficiis. Fugere & impedire, quid quid jure naturæ veritum lumen rationis promulgat. Quoddam autem actiones quoque externæ juris naturæ sint materia, ratio est: quia sinè his non subsistet cultus Dei internus, ut patet consideranti. Internus enim Dei cultus partialiter est legum naturalium observantia; omnes verò leges naturales sinè actionibus externis quis observabit? subjectæ sunt itè in Deo potentia non minùs externæ, quàm internæ, ergo ab utrisque Deo debetur cultus. Et si quidem *veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri*. Senec. ep. 117: Omnium gentium, ac nationum in Diis colendis mos, Deum ritu externo quoque oportere coli, tempora nostra non erudit tantùm, sed confundit. Ipsæ tamen ceremoniæ determinatæ, & ritus certi non videntur esse objectum juris NB. naturæ, sed juris positivi, aut Divini, aut humani, ratio est: quia hæ non videntur NB. determinatè absque facta suppositione legis positivæ, necessariæ ad finem consequendum; ergo.

7. Ex dictis sponte sua fluunt præcepta negativa circa cultum Dei vetantia

Atheis-

Atheismum, Polytheismum, Epicureismū. Et nominatim illa Machiavelli doctrina : *religionem solius populi in obsequio facilius continendi causā repertam : aut stabiliendam esse religionem tantum pro plebe. Superos tantum ad speciem colendos. Verè enim Deus, & non tantum ad speciem Dominus est, Creator, Conservator, & Author naturæ; ergo non tantum ad speciem sibi officia præcipit, & ab omnibus; quia nempe non minus respectu unius quàm alterius talis est. Laudabilis est hic zelus Platonis, ad quem sana illum ratio, & natura accendit l. 10. de Rep. ubi ait : eorum hominum voces coercenda, qui ajunt : religionem esse hominum commentum ex arte institutum, ut majoris cujusdam, & Augustæ potestatis metu, homines in officio continerentur.*

Nemo itaque in officiis erga Deum segnis audiat, cujus in cultum, quia consentiunt omnes, naturæ vox est. Omnes enim Tullio teste c. 6. act. in Ver. *Deos Patrios, quos acceperunt à majoribus colendos sibi diligenter arbitrantur. Quia verò optimè honorat Deum ille, qui mentem suam, quantum fieri potest similem Deo faciat. Sent. 396. igitur conandum est, ut efficiamur similes Deo quantum licet homini. Homo autem efficitur similis Deo prudentiâ, justitiâ, sanctitate* Plato in Theat. p.

29. Sic hortante rursus Tullio de natura Deorum c. 28. Deos & venerari & colere debemus. Et quidem quando ieris cubitum, & quando tempus matutinum venerit; ut sint animo benevolo in te. Hesiod.

## CAPUT III.

### De officiis hominis erga se ipsum.

I. **Q**UÆRES I. *An quædam sint officia homini erga se ipsum jure naturæ præcepta?*

**R.** Affirmativè. Et sunt quidem nominatim actiones hominis conformandæ ex debito legi naturæ præcipienti ordinatum amorem sui. Juris verò naturæ ideo materia sunt: quia verè participant rationem justitiæ, quæ est honestas relucens in reddendo debito sibi necessario ad finem; ergo.

2. Si opponas: officia respectu sui non sunt ad alterum, ergo non sunt materia juris, & justitiæ naturalis. 2dò præcipiunt amo-



amorem sui, qui cum aliunde sit innatus præcepto, & lege non indiget, ergo.

**R.** Ad 1<sup>um</sup> imò D. A. officia respectu sui eodem modo & secundum eandem sui partem considerati non sunt ad alterum C. A. officia respectu sui diversò modo, & secundum diversas sui partes considerati non sunt ad alterum N. A. & C. In homine alia debet officia anima corpori, alia corpus animæ, per quod certè sufficiens altereitas obtinetur. Respondeo 2<sup>dò</sup> N. A. quæ enim sibi præstare quis officia tenetur, præstare tenetur alteri, nempe Deo; homo namque respectu bonorū quorumvis duntaxat depositarius est, Deus verò dominus directus; ergo. Ad 2<sup>dum</sup> D. 2<sup>dam</sup> partem A. Amor innatus præcepto non indiget, si est absolutè determinans, ut est in brutis C. A. Si quoad modum, & subordinationem respectu finis dirigibilis, & determinabilis est, ut est in homine N. A. & Conf.

3. **Q**UÆRES II. *Quotuplicia sunt officia respectu sui obligatoria?*

**R.** Multiplicia: alia videlicet versantur circa bona animi seu perficiendi, seu emendandi, & quidem tum circa intellectum, tum circa voluntatem; alia versantur circa bona corporis. Officia alia attendunt bona ho-  
mi-

*minis totius, atque adeò urgent conservacionem, defensionem vitæ, famæ, ac fortunæ. Quorum omnium universale est principium: id esse præceptum jure naturæ respectu sui, quod exigit amor sui in quolibet ad finem ab Authore naturæ præfixum consequendum tanquam medium absolutè necessarium; quod huic repugnat, eodem naturæ jure respectu sui vetitum est. Amorem itaque sui metiatur Ethicus ex honestate, & ordine ad finem ultimum consequendum, non aliunde, ut metiuntur ii, qui teste Aristotele Eth. l. 9. c. 8. sibi in pecuniis, honoribus, & voluptatibus corporis amplius vendicant. Priorem amorem honestatis urget Philosophus, alterum vetat L. & c. eodem inquit: *bonus vir esse sui amator debet, nam honesta agendo, & sibi, & aliis prodest. Prævus non debet ed: quod prævos affectus sequens & sibi, & aliis nocebit. Quin ait insuper. prævi homines nec rectè dicuntur amatores sui, quia appetitum inferiorem sequuntur in objectis amplectendis. Ibidem. Tam est accuratus Philosophus in discriminando amore sui à nobis pro principio juris naturæ assignato!**

4. **Q**UÆRES III. *Quæ sint determinatè officia ex jure naturæ præstanda sibi spectato animo, seu intellectu seu voluntate?*

**R.** Utraque animi potentia quæ emendanda, quæ perficienda est circa ea, quæ ex utriusque potentiæ parte sunt absolute necessaria ad obtinendum finem naturæ rationali proprium, qualia plura enumerat P. Ign. Schwartz in instit. Juris naturæ part. I. tit. 4. instr. 1. §. 1. à quæst. 5. respectu intellectûs v. g. dari *Deum*, illum esse ens *summum, unum, perfectissimum, animam esse immortalem, penam, & præmium dari in vita altera &c.* Respectu voluntatis: declinandum esse à malo, bonum esse eligendum, curandum: ut ratio imperet, sensus serviant, passiones domentur, juxta illud Statii Theb. 12. *Nè frænos animo permitte cæmenti.* Et plura similia, quæ ex dato suprâ principio facili discursu Ethicus incorruptus assequitur.

5. Si plura præsertim respectu intellectûs exigis, & objicis cum Collectore Wolffianarum institutionû ex citato opusculo juris naturalis capite I. I. §. 33. *intellectus est facultas possibile determinatè representandi; quoniam itaque crebro exercitio habitus cognoscendi comparatur; nemo non ad ista exercitia NB. adstringitur.* Item capitis ejusdem §. 98. sequentem promulgat; intellectu obligationem: NB. *obligamur intellectui majorem*

jorem perfectionis gradum conciliare, adeoque intendenda est attentio, augendum est acumen cum profunditate, concilianda est facilitas abstrahendi, ars observandi, ratiocinandi, emendandum ingenium, excolenda ratio; ergo plura quàm responso superiore definitum jure naturæ respectu intellectûs exigì videntur.

**R.** Laudabilem quidem in Wolffio, viro apprimè ipsomet literato, de se hunc esse zelum intellectûs perficiendi, & creaturæ intellectuali studium literarum prorsus convenire, sed tamen negandum, & pernegandum est, ad has procurandas intellectui perfectiones lege NB. & jure naturali quemquam teneri. Ratio est: quia hæc à Wolffio exigita perfectiones non sunt medium unicè necessarium ad consequendum finem homini, & naturæ rationali proprium, qui utique sinè Dialectica, Rhetorica, Poëtica, sinè acumine & profunditate, sinè facilitate abstrahendi, sinè arte observandi, ratiocinandi & obtineri potest. Alioquin vilis plebecula, coloni, ruricolæ ad finem suum nunquam pertingerent. Bene quidem advertit Author idem ejusdem capituli §. 35. quòd cognitio ea omni reliqua præferenda est, quâ in vitæ nostræ genere, itè in bono, maloque discernendo opus habemus, & §. Sequentè vitandam præsertim ignoratio-

nem

*nem ejus, quod bonum est, atque malum. In ordine autem ad veritatem non modò præsertim hæc ignorantia vitanda, & non modò præferenda est boni vel mali notitia, sed sola illa, & unicè est medium ad finem necessarium; sola igitur & unicè illa legis naturæ materia est. Audiatur hîc Seneca apertissimè de quibusdam Romanis differens de brevitate vitæ c. 13. Ecce Romanos quoque invasit studium supervacanea (spectato hominis sine (discendi. Cujus ista errores minuent? cujus cupiditates prement? quem fortiorem, quem justiore, quem liberaliorem facient? Addo ego: quem vera & substantiali beatitudine beatum reddent? quodsi igitur ejusmodi non sunt media ad finem ultimum consequendum unicè necessaria, neque juris naturalis materia sunt.*

6. **Q**UÆRES IV. *Quid spectato corpore respectu sui jus naturæ præcipiat?*

**R.** Debet quisque corpori suo sustentationem, curam, ut membra omnia sana, integra, vitæque ipsa salva conservetur, ut nempe per corpus tanquam instrumentum finem ultimum natura rationalis consequatur. Quam ego corporis ubi curam urgeo, cum Seneca naturæ lumine illuminatissimo fateor insitam nobis esse corporis nostri charitatem,

60      *Caput III. De officiis hominis*

*tem, fateor tutelam: nec nego indulgendum illi, serviendum nego, multis enim serviet, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Honestum ei vile est, cui corpus nimis charum est. Agatur ejus diligentissime cura, ita tamen, ut, eum exigit ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum sit in ignem. Epist. 14.*

Sustentandum igitur, atque alendum corpus est ex lege naturæ, pro quo tamen nota speciatim duo: *finem* videlicet & *mensuram* cibi, potusque sumendi. Mensura quidem est *necessitas*, finis *sustentatio*. Sumendus proinde cibus, non ut illecebra gustus, sed quasi medicina famis, sitisque, ut videlicet cum Hipponensi Præsule de semet ipso id fatente L. 10. Conf. *cibos sumpturus tanquam medicamenta non delectamenta accedas; non enim vivimus, ut edamus, sed edimus, ut vivamus, & corporis membra ita conservemus, ut apta sint servire animæ ad officia necessaria ad finem.*

7. Sed liberalior in indulgendo corpori objicies rursus cum Wolffianarum institutionum collectore ejusdem juris naturalis de officiis erga se c. 2. §. 49. non tantum ex jure naturæ corpus esse alendum simpliciter, sed insuper: *quod cibus boni saporis præferendus alteri, qui minus sapit, ubi uterque fuerit in potestate & ad sanitatem æquè condu-*

*ducat*, ergo in responso nimis parùm dictum est. Probatur A. ex ejusdem capitis §. 49. *appetitus sensitivus fertur in cibum ob saporem gratum*, ergo ex naturæ inclinatione & lege cibus saporis gratioris alteri præferendus est; ergo.

**R.** Lex ista cæteris naturæ legibus, seu à Thümmigio seu à Wolffio inserta admodum redolet culinam studiosissimi abdomini suo Lutheri Gastrimargiam non sanam Philosophiam, & vel fronte primarum movet, non assensum. Sic enim mensæ assidens, quæ eadem & phasis, & vervex, & ostrea & olera ad vescendum proponerentur, quisque ex jure naturæ ad arripiendum præ vervece phasidem, præ oleribus ostrea, vinum præcerere &c. obligaretur, ita: ut juri naturæ contra veniret, & in legem naturalem peccaret, qui cunque cibo, aut potu meliore abstineret. Quæ certè ridicula sunt. Inanitatem verò hujus legis Wolffianæ inquire per datum supra principium cognoscendi, quid sit juris naturæ, & quære: an phasiano præ vervece ostreis præ oleribus vesci exigat amor sui tanquam medium ad finem ab Authore naturæ præfixum, & quidem tanquam medium absolutè necessarium, sinè quo (si phasianus nempe præ vervece non arriperetur)

retur) hic finis non obtineretur. Ridebis ista, ergo & illam legem. 2dò attende finem comestionis, quæ est *sustentatio corporis*, hæc verò quia per cibum saporis etiam alterius haberi potest, non est cur jure naturali ad lautitias, & delicias exquirendas obligemur. Aliter sensit gentilis sanæ naturæ ductum sequens Seneca epist. 119. *edendum est, ait, utrùm hic panis sit plebejus, an similiagineus ad naturam nihil pertinet. Bibendum utrùm hæc aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea quam multa nive clausero, ut frigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet.* Ità ille stoicè quidem, at verè. Licèt enim naturæ non repugnet vesci cùm potes, etià lautioribus, lex tamen ad id naturæ certè nulla est.

8. Ad probationem, quòd *appetitus sensitivus feratur in cibum ob saporem gratum* R. D. fertur ob saporem gratum cum subordinatione ad finem ultimum, ad quem à ratione dirigibilis est C. finè illa sub d. fertur ità ex inclinatione naturali communi etiam brutis C. A. fertur ità ex dispositione alicujus legis naturæ N. Fateor ad sapientiora fertur appetitus, ut loquar cum Apostolo lege (nempe improprie tali) quasi innata; sed quæ sibi relicta repugnat legi  
men



mentis, & rationi, à qua in finem nobiliorem dirigendus est. Non enim cibum propter cibum *sumimus*, atque, ut vel Ethnicus cecinit Poëta: *non in solo vivendi causa palato est.* Juven. Satyr. 1. Alteri ergo eique nobiliori fini subordinandus est appetitus, imediatè quidem: ut feratur in cibum ad conservandum hominem: mediatè verò tanquam pars in & ob finem totius hominis. Qua facta ad finem reflexione Platoni assentior afferenti de LL. l. 1. *temperatis hominibus lex est Deus, intemperatis verò voluptas.* Ab hoc autem fine nempe Deo, quia totò opusculò suò nimium præscindit cum Wolfio Thümmigius, à vero passim in jure naturæ, Ethica, & Politica notanter deflectit. Quin si vel finis hominis à Wolfio statutus (qui illi est) ut supra retuli (perfectio hominis) spectetur, non video: qua ratione cibus saporis gratioris hominem NB. ut homo est, & ut rationalis est, perfectiorem constituat, & vel inde spectatis etiam Wolffianis principiis tam ludicrè homo obligari valeat.

9. **Q**UÆRES V. *Quid de vestiendo corpore, & statuendo illi domicilio sit juris naturæ?*

**R.** Quid quid citato in numero priore C. 2. sui juris naturalis diversis paragraphis

64 *Caput III. De officiis hominis*

phis asserat Wolffianus Thümmigius de vestiendo ornatiùs corpore, de splendidiore domicilio &c. admonens rursùm inter alias juris naturæ materias, & objecta non *honesti tantùm*: atque *decori* sed & *jucundi* habendam rationem, tam tamen efficaciter assevero, hæc juris naturæ non esse materiam, quàm planè non necessarium seu victus, seu vestitus, seu domus melior, medium sunt ad finis ultimi consecutionem. Conforme non nego sanæ rationi in usu rerum meliora seligere, & *salvis officiis* cuique deferendis, etiam *jucundiora*; sed tamen ejusmodi *jucundiora*, ut ut *honesti*, jure naturæ præcepta esse, neque ego, neque quis alius prudens asseruerit, adhibitò præsertim principiò ordinariò cognoscendi objecta juris naturæ; ex quo, & quid ratione vestitùs, domicilii, & similium respectu sui sit juris, & legis facillè quivis colliget, & inania Wolffii præcepta ridendo convellat. Non negligenda hìc Sanioris Philosophi Romani sapientis regula pro usu rerum admodum idonea: *finem omnium exspecta, & supervacua dimittes.* Ep. 119. Ex fine videlicet (quod sæpe jam monui) ut leges aliæ, ita & naturæ lex mensuranda est. Et hac mensura usus videtur Seneca idem, quando eadem in ep. citata agens de fiti  
ita

ità scribit: illa ( natura ) hoc unum jubet sitim  
 extingui, utrùm sit aureum poculum, an crystal-  
 linum, an myrrhinum, an Tiburtinus calix, an  
 manus concava, nihil refert. Eandem quoque  
 fecutus regulam, quando hanc auream epi-  
 stolæ 8væ altissimè, menti etiam Thümmi-  
 gii imprimendam, inseruit doctrinam: hanc  
 sanam & salubrem formam vitæ tenere me-  
 mento, ut corpori tantùm indulgeas, quantum  
 bonæ valetudini satis est. Duriùs tractandum est,  
 nè animo male pareat. Cibus famen sedet, potus  
 sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus mu-  
 nimentum sit adversus infesta corpori. Hanc u-  
 trum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienæ,  
 nihil interest. Scito: hominem tam bene ulmò,  
 quàm aurò tegi. En: ut in compendio præ-  
 standi corpori officia stringat Philosophus!  
 De vestitu etiam Tullius I. off. c. 36. ra-  
 tio est habenda vestitûs, in quo sicut in plerisque  
 rebus mediocritas optima est. Congruentissi-  
 mè omnino: quia alter se justò plus colit,  
 alter se justò plus negligit Senec. epist. 114.

10. **Q**UÆRES VI. Quæ porrò curanda me-  
 dia perveniendi ad finem lege naturæ  
 præcepta respectu sui?

**R**. Tenetur quisque uti ad finem, ità & ad  
 media, sinè quibus finis haberi ne-  
 quit. Inter hæc media jure retuleris.

Imò laborem & industriam statui &

viribus cujuslibet congruam. Laborem verò non intelligo in sensu Wolffiano, qui ait citato capite? §. 66. quòd: *labor sunt actiones humane opum parandarum gratiâ editæ*, sed intelligo exercitationem quamcunque animi aut corporis officiis, & fini homini opportunam. Non enim propter parandas tantùm opes, sed propter fines etiam alios labor homini necessarius uest. Scilicet & vel maximè: quia oppositum labori otium non modò egestatis, sed & plurimorum parens est vitiorum, hinc Horatius:

*Si non*

*Intendas animum studiis, & rebus  
honestis*

*Invidiâ, vel amore vigil torquebere.*

Et Lycurgus cùm animadverteret adolescentes plerumque ad injuriam faciendam proclives esse, & cupiditatibus voluptatum vehementibus urgeri; laboribus erudiri voluit juventutem venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando, omnem ad honores, & imperia præcludens aditum eis, qui constituta legibus exercitia refugerent. *Xenoph. in Lacovn.* 2dò virtutes ipsas prima ad finem media finè labore

labore nemo consequitur juxta tritum :  
*virtutem posuere Dii sudore parandam.* Ut clarè  
pateat etiam notante id Platone l. 4. de RP.  
ad hanc ignavis aditū intercludi; postea  
quam nīl præclarum reperitur, nisi quod  
& arduum. Quantum itaque naturæ lege  
vitare vitia, sectari virtutes, tantum quo-  
que laborare obligamur, ergo *laboremus.*  
*Simb. Septimii Severi.*

II. 2dò medium ejusmodi ad finem  
sunt quoque facultates, seu opes ad victum,  
vestitum, & alia vitæ subsidia, & officia ne-  
cessariæ, in quo ferè laudarem rectè  
cum Wolffio Thümmigium sensisse citato  
capite 2. §. 20. ubi ita: *opes parandæ sunt, ne  
desint officiis erga nos & alios instrumenta,*  
nisi idem etiam aliam minimè vero con-  
gruam urgeret opum curam, & curæ obli-  
gationem præcedente paragrapho 64. ubi  
ait: *nullam prætermittendam esse occasionem,*  
*qua salvis officiis erga nos, & alios imprimis  
erga Deum opes parare datur.* Hoc nimis  
multum jubet negotiari; non enim opes pa-  
randæ sunt ex lege naturæ *salvis* tantum  
officiis, sed *exigentibus*, & in quantum *exi-  
gentibus* officiis cuique deferendis. Quod  
salva relinquit officia, non repugnat na-  
turæ legi; quod exigitur, hoc præcipitur,

68 *Caput III. De officiis hominis*

& legis naturæ objectum fit. Atque ità quod non *salvis*, sed *exigentibus* officiis.

*Satis est cui contingit, nihil ampliùs optet.*

Horat. v. 46. ep. 2.

Cui conformiter *Socrates* cùm eorum, quæ publicè vendebantur intueretur multitudinem, secum ista volyebat: *quàm multis ipse non egeo. Sæpius repetens: Argentea vasa. Tragædis utilia sunt nequaquam autem vitæ. Ità de illo Laert. Diog. in Socrat. & Cic. 5. Tuscul. c. 32.*

*Ethice: agens hìc de opibus est: cur moneam: discere parvo esse contentus. Senec. Ep. 110. & cupiditatem à necessitate discerne. Etenim cupiditati nihil satis est, natura (& necessitati) satis est etiam parùm. parabile est, quod natura desiderat, & expositum. Ad supervacua sudatur. &c. Ad manum est, quod satis est. Ità ex lumine naturæ gentilis ad Hel. Sen. ep. 4.*

12. 3tiò Mediū itèm est æstimatio & bona fama vitæ honestæ necessaria, tanquam: fundamentum publicæ honestatis in Societate humana. Pro quo aureum nota documentum

tum Stobæi serm. V. *si cupis bene audire, discere bene dicere, & rectè agere, sic enim perfrueris bonâ famâ.* Scribit de habenda etiam cura famæ Cic. 2. off. c. 3. fin. c. 17. *Cùm nobis à natura constantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datae sint, cùmque eadem natura doceat non negligere quemadmodum nos adversus homines geramus, est hominis ingenui, & liberaliter educati velle bene audire à Parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris: ut non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti negligere, quid de te quisque sentiat.* Id quod eleganti similitudine declarat inquiring: *ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipso, quòd inter se omnes partes cum quodam lepore consentiant, sic movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine, & constantia, & moderatione dictorum omnium atque factorum.* Hanc verò boni nominis æstimationem nolim quisque intelligat ambitum honoris juri naturæ apprimè repugnantem, & hodiernis & vetustis priorum Philosophorum sæculis semper exosum, & perniciosum. Id quod fit, si in honore tanquam fine ultimo sistatur, quod vitium censet Augustinus fuisse Stoicis. Tu aliter honore, æstimatione, bono nomine, & fama egregiis te virtutibus dig-

num præstita ita: ut ad Deum vel *positivè* tanquam boni, propter quod bene audis auctorem, vel *saltem negativè* Deum non excludendo, ad virtutem, cui competit, honorem omnem referas. *Cætera verò: honores, & injuriæ vulgi in promissuo habendi sunt. Nec his dolendum nec illis gaudendum; alioquin multa timore contumeliarum, aut tædiô necessaria omitemus, & publicis, privatisque officiis non occuremus.* Senec. de conf. c. 19.

13. **Q**UÆRES VII. *Quæ sunt præcepta negativa erga se, & quarum rerum respectu sui lex nature sit prohibitiva?*

**R.** In genere omnia quæ præceptis ex jure nature erga se sunt opposita, & quæ si essent licita nec prohiberentur, obstarent nè creatura rationalis ad finem sibi proprium pertingeret, seu sunt illa quæ sunt *eversiva aut finis, aut mediorum ad finem absolutè necessariorum.* Ejusmodi sunt *pigritia & otium, & corpori & animæ noxia.* Otio nempe ut habet Oloander *corporis vires mollescunt, & languent; desidiâ vero animi evirantur, & socordes sunt ingenti cum damno totius Reipublicæ.* Quæ & similia propullulantia ex otio mala ponderans Draco Atheniensium legislator statuit: ut quidam nati forent otii capite mulctarentur, dictante  
vide-



videlicet illi natura: otium esse omnino lege  
vetandum. Quin *Plauto in Rud.* insuper.

*Nimis homo nihil est qui piger est.*

Repugnant itaque pigritia & otium  
naturæ hominis; ergo & lege naturæ esse  
verita oportet.

14. **Q**UÆRES VIII. *Quid præterea hinc juris  
naturæ vetantis sit?*

**R.** Prohibetur jure etiam naturæ luxus &  
opum cupiditas, & nimia tempora-  
lium cura: quia certè sunt eversiva pacis,  
& tranquillitatis secum, & cum proximo,  
seu felicitatis integralis; à Deo vero sine  
ultimo insuper abducunt, quòd multorum  
scelerum origo sint. Quare hinc non est as-  
pernabile illud scitum Apuleji: *fortunam  
velut tunicam magis concinnam, quàm longam  
probo; etenim in omnibus, ad vitæ munia quid  
quid aptam moderationem supergreditur, oneri  
potiùs, quàm usui exuberat. Igitur & immodicæ  
divitiæ, velut ingentia gubernacula faciliùs mer-  
gunt, quàm regunt, quòd habent irritam copiam,  
auxiam nimietatè.* In apolog. Persuasum itaque  
habe:

*Vivitur exiguo melius. Natura beatis  
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.*

Claudian:

Et sic omnibus ut Quintiliano divitiarum satis est : *Nihil amplius velle.* Decl. 13.

Ut verò luxus propter excessum in usu opum, sic avaritia propter defectum, juris naturæ vetantis objectum est; quia videlicet *nimum* ut explicat Sallustius cap. 11. *avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Ea quasi venenis malis imbuta corpus, animumque virilem effeminat, semper infinita, & insatiabilis est neque copiâ neque inopiâ minuitur : nimirum semper inquieta, ergo paci & tranquillitati contraria. Etenim :*

*Avarum irritat, non satiat pecunia,  
Avarus animus nullô satiatur lucrô.*

P. Syr.

Exibilat eandem non abs re Juvenalis :

*Manifesta phrenesis*

*Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.*

Satyr. 13.

Quasi esset :

*Quærenda pecunia primùm,*

*Virtus post nummos.*

idem ibidem.

15. **Q**UÆRES IX. *An & ebrietas atque ingluvies jure naturæ prohibita sit ?*

R:

**R.** Computa utriusque effectus & damna, & num ità prohibita sit, facilè concludes. Perturbant autem rationem, sanitatem evertunt, animum hebetant, corporis vires atterunt, & utrumque ad officia debita ineptum reddunt, ergo naturæ lege vetari quis ambiget? id ipsum censuit Aristoteles 1. Eth. c. 5. ubi ait: *ingluviem & ebrietatem ad appetitum naturalem nequaquam spectare, eò quòd sint contra naturam, diciturque voluptates innaturales ac turpes debeant.* Affecti sunt ebrietatis mala lumine rationis spartani, omnique propterea vino sibi interdixerunt. Græcis universim *absurdum videbatur tum bibere, cum jam fitis esset sedata.* Diog. Laërt, in Anach. Segm. 104. Lacedæmoniis nil ferè magis ebrietate erat execrabile, à qua ut liberos abstererent servos ebrios in eorum conspectum venire jubebant. Sen. epist. 59. Scilicet ut viderent: quàm homo homo non sit, qui Spongiæ aut dolii adinstar vinò opletus est. De uno quoque dici posse optarem (hoc enim naturæ conforme est) quod suo de Patre Cyrus reposuit Astyagi, quærenti: *an fili mi Pater tuus, cum bibit, non sit ebrius? nunquam profectò (respondit Cyrus) sitire enim tantum desinit.*

16. **Q**UÆRES X. *Quid ratione libidinis jus naturæ prohibeat?*

**R.** Prohibet in materia libidinis jus naturæ propè absque controversia *multitiam, fornicationem, bestialitatem*. Ratio est: quòd ejusmodi actus, libidinosi evertant amorem rationabilem erga se, & quòd internam animi pacem, & felicitatem penitus pessumdent. Sistunt enim in voluptate tanquam fine, cujus tamen voluptatis finis longè alius ordinatus est à natura, propagatio videlicet humana. Excæcat præterea infana libido mentem, animam carni, rationem sensui turpiter subjicit, efficitque, ut, quod annotavit Cicero: *ut quidam morbo aliquo, & sensû stupore suavitatem cibi non sentiunt, sic libidinosi veræ laudis gustum non habeant*. Complexus nonnulla etiam libidinis est mala Claudian. 2. Stillic.

*Luxuries, perdulce malum, quæ dedita  
semper*

*Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,  
Membræque circæis effæminat acrius  
herbis,*

*Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrrior  
ulla.*

Certè igitur tot damna rationali naturæ repugnant; ergo meritò legis naturæ vetantis libido objectum fit. Adde nominatim de fornicatione perfecta, quòd societati humanæ admodum esset perniciofa, eò: quòd, si liceret, præ onerosis matrimoniis vaga talis libido passim præligeretur, non attentâ infamiâ matris, educatione prolis, aliisque incommodis, quæ bene enumerat Magnificus Schmier tract. 1. c. 2. de jure naturali.

Quòd mollities, quæ proprio corpore, ad indignam homine delectationem abutitur, repugnet fini, & ordini à natura intento, manifestum est, idémque de Sodomia & bestialitate est, quæ quia majorem, ut patet, aliis libidinosis actibus fœditatem affricant, nescio, eas esse jure naturæ vetitas, an quemquam latere possit. Bestiis sanè, quibus non est intellectus, vitia ejusmodi hominem ingenti disordinatione assimilant, ergo non est cur actus tales, & libidinem jure naturæ vetitam non asseramus.

17. Sed dices Imò natura: inclinatur ad actus libidinosos, ergo non videntur esse contra, sed potius juxta naturam. 2dò etiam si præjudicium esset, & mala sequerentur in Republica, si passim liceret fornicatio

catio; non videntur tamen illa sequi, si tantum aliquando ab uno, alterove illa committerentur; ergo non videntur universaliter juræ naturæ esse vetita. 3tio non sequuntur mala recensita *v. g.* cæcitas mentis, infirmitas voluntatis &c. in matrimonio, ergo nec extra, cum actus iidem sint. 4to multæ gentes, & etiam sapientes veteres mollitiem, & similia flagitia contra naturam esse non censuerunt; ergo non sunt materia juris.

**R.** Ad 1mum inclinatur ad hos actus naturalia corrupta & animalis **C. A.** rationalis **N. A.** brutorum, immundorumque animalium est, hac se foeditate coinquinare; hinc Pythagoras cum stolidus quidam diceret; *malle se cum mulieribus esse, quàm cum Philosophis conversari: reposuit: & sues libentius in cæno quàm in aqua versantur.* Volens ita innuere: non hominis, sed bruti immundæque suis eas esse inclinationes, & delicias. Ad 2dum **R.** Præceptum illud minimè esse fundatum in præsumptione solius facti, ita: ut illo cessante cesset, sed fundatum esse in in præsumptione periculi in genere, quod quia semper manet, ideo semper manet & præceptum; ergo objectio non urget. Ad 3tium disp. est: quòd licet iidem aut similes sint actus intra

& extra matrimonium; non est eadem tamen inordinatio; quia specialiter etiam Deus ut Author naturæ, teste experienciâ, per auxilia etiam naturalia, propullulantia aliàs ex libidine mala & damna in matrimonio impedit; ergo. Ad 4<sup>um</sup> R. Si quæ sunt gentes, quæ ita sentiunt, id ipsum sentire exinde promanat, quòd hisce deliciis nimisquam immerfi, & involuti sint, de quibus gentium Doctor ad Rom. I. v. 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliosius afficiat corpora sua in semetipsis.* Non addo plura de libidine: quòd, quàm fæda sit, fronte prima advertatur, atque, ut Cicerode officiis: 2. c. 30. quòd, *si considerare volumus, quæ sit in natura hominis excellentia & dignitas, facile intelligamus quàm sit turpe disfluere luxuriâ, & delicatè ac molliter vivere, quàmque honestum parcè, continentè, severè, ac sobriè.* Quantum verò fugienda libido, tantum amplectenda est sollicitius castitatis gloria cuicumque sapienti; castitatis enim teste Lipsio ex monit. & exem. c. 6. *proprium est alta & seria cogitare.* Non ignorabant virtutis hujus pretium veteres etiam gentiles, & commendabant. Hinc Isocrates conspiciens Sophoclem sequi puerum quendam formâ illius captum, oportet, inquit, *O! Sophocles hominem*

*minem non manus tantum apud se continere, verum & oculos* Eras. in Apoph. ex Cic. hinc *Ictys Tarentinus*, cum certo sciret corporis vires enervari libidine, toto vitæ tempore duravit expers veneris, ut palæstricis ludis esset accommodatior. *Volater. Clitomachus* surgebat, & abscedebat, si quis sermones injecisset amatorios *Plutarch. L. 7.* Alii alia, quæ longum esset referre, virtutis hujus edidère specimina. Pudor itaque sit, si mens Christiana foeda libidine agatur in transversum. Magis profectò vetus juxta metrum, quàm apud gentiles.

*Reliqui mores sprete sine honore jacebunt,  
Ni sint ornati laude pudicitiae.*

18. **Q**UÆRES XI *An autochiria seu pro-  
pricidium itèm mutilatio inter præ-  
cepta juris naturæ negativa comprehendantur?*

**R.** Affirmativè: autochiria enim propri-  
cidium, mutilatio membrorum sui  
corporis & nimia vitæ conservandæ incur-  
ria, ut patet, ex applicatione principii ni-  
misquam eversiva sunt amoris sibi natura-  
liter debiti; ergo. Similes rationes affert  
*Magnificus Schmier l. 1. tract. 1. c. 2. §. 3.*  
quòd videlicet autochiria injuriam inferat  
*sibi, Reipublicæ, & Deo, sibi quidem & amorì*  
pro-



proprio, ut neminem latere potest. Deo verò ratione dominii soli Deo reservati ; solus enim Deus vitæ corporis, & animi potentiarum, & membrorum Dominus est, 3tò proximo seu Societati, & amori Societatis propter violatam justitiam legalem inferendo injuriam communitati, cui tanquam membrum quis natus est. Bestiis profectò crudelior est suicida, & feris quibusque, quæ omnes amant, appetunt, & curant sui conservationem ex solius instinctu naturæ, à qua ad vitam servandam diversis præfidiis à natura iisdem insuper provisum est. Etiam gentiles & eadem propriam detestati sunt, & inferorum rogò dignos ejusmodi homines suicidas arbitrati sunt. Ut memorat Poëtarum Princeps, qui l. 6. Æneidos locum in styge assignat iis.

*Qui sibi letum*

*Infantes peperere manu, lucemque perosi*

*Projicere animas.*

**Q**UÆRES XII. *An saltèm aliquando jure naturæ licita sit sui occisio, aut membrorum mutilatio ?*

**R.** Directa sui occisio nunquam est licita, nisi quando vitæ Dominus eandem præciperet, ut paulò antè responsum est.

*Licita*

Licita autem est sui occisio indirecta aliquando, *quæ est omissio vel positio actionis, quæ omissa vel posita mors non intenta aliunde consequitur.* Et hac ratione licita est, quando præstantius, quàm vita sit, urget bonum, majusque virtutis emolumentum. Unde licet, imò strictissimo jure præceptum est *mortem eligere citius, quàm Deum vel levissimè offendere.* Sinè comparatione enim minus est malum vitæ amissio, quàm Dei offensa etiam venialis. 2dò non modò licet, sed & præceptum est vitam exponere, atque ità indirectè se occidere, si adsit titulus *justitiæ* erga proximum, qualem habent *pastores* animarum, etiam in morbis periculosis, ovis suis assistere obligati. *Milites* belli tempore, ut, qui interposito jure jurando vitam pro Patriæ salute, & bono publico (quod utique majus est bonum bonò privatò) peculiariùs obtulerunt.

Licet præterea (etiamsi non sit obligatio, ut in casibus actu positis) vitæ expositio, & indirecta sui occisio ex motivo charitatis erga proximum in salutis, aut vitæ periculo. Meritò tunc vitæ propriæ amittendæ ferè nimium circumspecta cura, mortisque metus seponenda sunt. Alioquin *qui mortem timet nihil unquam pro homine vivo faciet.*

faciet. Senec. 2dò Licet se exponere amore boni publici, ideóque meritò ( si gloriæ abfuiſſet ambitio ) laudandi eſſent, quicumque ſeu è Græcis, ſeu è Romanis ingenti numero ob bonum Patriæ mortem oppetiverunt. 3tò Licet autochiria, amore virtutis, & perfectionis. Qua in re & notum & illuſtre eſt exemplar Divi Caſimiri. 4tò licet ſui ind recta occiſio : quando medium vitæ conſervandæ nimis eſt arduum, & pene importabile ut ſunt violentæ ſectiones, uſiones membrorum, vel uſus medicinarum pretioſiſſimarum &c. Quibus in caſibus tam arduis ad vitæ conſervationem non videtur obligare Author naturæ.

In omnibus ergo dictis & ſimilibus circumſtantiis licere indirectam ſui occiſionem datis ex rationibus nemini ferè dubium eſt. Excepto caſu, ubi per indirectam ſui occiſionem grave immineret damnum alteri, liberis fortè ex morte Parentis, Reipublicæ ex morte ſui capitis, &c. Niſi nempe, ut ait Seneca Phænifis *vitam tibi ipſi ſi negas, multis neget.*

De mutilatione membrorum idem eſto ſenſus, qui de indirecta ſui occiſione eſt ; quia ſi iſta aſſignatis in circumſtantiis licita eſt, etiam illam & quidem à fortiori licere neceſſe eſt.



20. Sed objicies contra responsum de autochiria imò: licebit se saltè directè occidere, si finis adsit rationalis v. g. ob puniendum proprium crimen; ergo absolute autochiria vetita non est. 2dò habentur exempla autochiriæ elogiis celebrata v. g. In sancta Apollonia insiliente in ignem, in Eleazaro in confosso elephanto se contumulante, in Catone Uticensi, Bruto &c. ergo. 3tò licet sui occisio indirecta; ergo & directa; idem enim esse videtur seu per me seu per alium peream. 4tò possunt per illatam sibi mortem ingentia sæpè mala declinari, ergo videtur licere.

**R.** Ad 1mum negandum esse suppositum quòd finis rationalis haberi possit in manu hominis circa aliquid, quod in Dei solius est potestate, uti est mors & vita hominis neque ullibi hæc ad sua punienda crimina juris dictio fundata est; ergo. Ad 2dum respondeo exempla autochiriæ quæ referunt hinc indè historici de sanctis aut heroibus, tribuenda esse vel speciali instinctui Authoris naturæ, vel, ut putat Molina citatus à Patre Schwartz parte 1. tit. 4. provenire vero similis ab ignorantia juris naturæ inculpabili in subtilitatibus juris naturæ. Ad 3tium resp. C. A. N. C. Disparitas est: quia in antecedenti est indirecta

directa occisio, quæ est cessatio à conser-  
vatione vitæ. Conservare verò vitam præ-  
cepto affirmativò lex naturæ præcipit, adeo-  
que obligante semper quidem, non tamen  
pro semper, & in omnibus circumstantiis.  
In consequenti præceptum est negativum  
vetans sui occisionem, adeoque obligans  
semper pro semper. Ad 4tum D. A. Pos-  
sunt ingentia, morte illata, mala vitari, quæ  
tamen mala, quantacunque sint, certè mi-  
nora sunt, quàm vitæ propriæ ereptio C. A.  
quæ sunt majora N. A. & C. Paupertas  
infirmetas, ob quæ violentas sibi plures su-  
binde manus intulerunt, mala longè morte  
inferiora sunt. Aut si majora æstimantur,  
haud ideo nostræ potestatis est in vitam in-  
vehi, cujus nostrum nemo, sed Deus solus  
Dominus est.

21. **Q**UÆRES XIII. *An vitam suam ita  
tueri liceat, ut licitè possit defendi cum  
homicidio cujuscunque vitæ nostræ aggressoris?*

**R.** Affirmativè. Firmant responsum in  
jure naturæ esse fundatum vulgata  
legum scita. Videlicet: *instinctu naturæ non  
constitutione aliqua habetur violentiæ per  
vim repulsio c. 7. Jus nat. dist. 1. Vim  
vi repellere omnes leges, omniâque jura permit-  
tunt. C. Si verò 3. de Sent. excommun.*  
Adde effatum Tulli l. 1. de off, *Generi ani-*

*mantium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueantur, declinentque, quæ nocitura videntur. Hinc canente Horatio dente lupus, cornu taurus petit. Hinc Philosophus de part. animal. C. 10. homini manus pro hasta, pro ense, pro armis quibuslibet. Ità nimirum asserente rursum Tullio lib. 3. de offic. & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mors gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, & vita sua propulsarent. Ratio præterea est, quia ordinata prorsus charitate ( nisi aliquid eorum, quorum numero 19. memini, fortè obsit ) vita propria alienæ præferri potest. Nec dissentanea est permissa hæc defensio seu proximo, seu Reipublicæ, idem enim jus proximo conceditur; Reipublicæ verò & societati humanæ ad evitandas inter suos cives, & membra, cædes & aggressiones iniquas, alioquin ab injustis & iniquis hominibus, passim justis intentandas, optimè consulitur; ergo.*

22. **Q**UÆRES XIV. *Quid ad hoc, ut talis sui defensio licita sit, requiratur.*

**R.** *Requiri necessariò moderamen inculpatæ tutelæ, quod moderamen fundatur in necessitate simpliciter, ità, ut periculum debeat esse imò certum, & præsens;*  
nam

nam remotum, & probabile jus etiam duntaxat probabile fundat, propter quod jus probabile nemini jus certum, quod quisque habet ad vitam, eripi potest. Item: si periculum tantum probabile sufficeret, via ad iniqua sæpe homicidia in Republica laxaretur. 2dò requiritur & oportet grave illud periculum, & tale esse: ut non aliter quam morte illata aggressoris sit evitabile. Alioquin rursus ad iniqua homicidia in Republica causa præberetur. Rectè proinde monet Plinius: *omnia prius, quam armis experiri sapientem decere.* Fortè etiam ex eo, & ideo: quòd Seneca teste: *Theb. omnis pugna habet aliquid aleæ ancipitis.*

23. **Q**UÆRES XV. *An & ejusmodi licita sit defensio, circa alia bona naturæ, fortunæ & fame?*

**R.** Affirmativè. Ostendo id in singulis. Bona naturæ sunt v.g. membra, libertas, pudicitia &c. quæ non minùs, quam vita, custodiæ nostræ tradita sunt, quin vitæ ipsa sæpe sunt chariora. De quibus Seneca de benef. l. 1. c. 11. *Proxima ab his sunt, sine quibus possumus quidem vivere, sed ut mors vitæ potior sit, tanquam libertas, & pudicitia. & mens bona.*

De bonis fortunæ etiam patet, eodem enim jure, quo vitam tueri licet, licet etiam

tueri media ad vitam conservandam. At-  
 qui talia media sunt bona fortunæ; ergo.  
 2dò hæc licita defensio uti medium est per-  
 accommodum sua conservandi, sic & me-  
 dium est rapinas, & furta Reipublicæ summè  
 noxia, aptè reprimendi; ergo. Dignissima  
 huc referri potest similitudo, quâ usus Tul-  
 lius l. 3. de officio. *Sicut si unum quodque*  
*membrum sensum suum haberet, ut putaret, se*  
*posse valere, si proximi membri valetudinem ad*  
*se traxisset, debilitari, ac interire totum corpus*  
*necesse foret; ita si unus quisque nostrum rapiat*  
*ad se commoda aliorum, detrahatque quod cui-*  
*que possit, emolumentum sui gratiâ, societas homi-*  
*num evertatur, necesse est.*

De bonis famæ singulariter animad-  
 vertendum: licere omnino, sed NB. tantum  
*speculativè* etiam cum morte invasoris fa-  
 mam defendere; in praxi tamen hanc sen-  
 tentiam aut nunquam, aut rarò tenere.  
 Ratio primæ partis est: quòd pari passu fa-  
 ma cum vita procedere videatur. 2dæ ve-  
 ritas dilucidatur & probatur exinde: quia  
 hæc defensio, ut justa sit, exigat ut damnum  
 honoris, & famæ certum sit, præsens, certò  
*inferendum, nec aliter quàm morte invasoris evi-*  
*tabile.*

Jam verò quæro certumne est, quòd  
 calumnianti fides habebitur; Adeoque  
 quod



quòd famæ quis suæ dispendium certè patietur ? itèm certúmne est : quòd tali defensione honorem quis suum cerè tuebitur, & non potiùs lædet, minuétque ? prætereacertúmne est, quòd infamia morte invasoris infallibiliter erit evitabilis NB, morte tanquam medio finè quo non (hoc enim moderamen tutelæ inculpatæ requirit) certè recuperando honori aliæ viæ juris ità suppetunt: ut privatam ejusmodi satisfactionè famæ, judices civiles graviter puniant, & meritò, si enim univetlim in praxi liceret, irreperet paulò post in rempublicam plurimas inter cædes, & homicidia summè noxius hujus defensionis abusus. ergo.

24. **Q**UÆRES XVI. *Discussà licentiâ defensionis an quis jure naturæ teneatur se, & quidem cum morte invasoris defendere ?*

**R.** Wolffius aut potiùs ejusdem institutionum compiler Thümmigius institutu: juris nat. c. 4. §. III. disertè affirmat & asserit: *Si aggressor violentus mortem nobis in tentet, nec depelli aliter possit, quàm si è medio tollatur, quin è medio tollendus sit, nemo dubitabit. Atque in hac defensione jus inculpatæ tutelæ, quod appellatur consistit.*

Itèm capite præcedenti §. 100. *curandum scilicet, ut hostem nobis damnum illaturum compeçamus, donec de non dando simus securi.*

Contra quod assertum respondeo : non modò non dubito, sed directè assero : quanquam ( ut probatum est ) vitæ invasorem è medio tollere liceat ; non tamen ad id ulla juris naturæ est obligatio, ut re ipsa ( quod memoratus vult Wolffiano , Thümmigianus Paragraphus ) è medio tollendus sit , & quidem , etiamsi talis invasor mortem nobis intentet, nec aliter depelli possit , quàm si è medio tollatur. Nec hoc, jus inculpatae tutelæ est : ut quisquam teneatur ; sed ut possit, si velit, hunc aggressorem è medio tollere.

Quod imprimis ostendo ex datis supra principiis: quia tanta obligatio nec exigitur ab amore necessario ad felicitatem, seu respectu Dei, qui ex nullo capite probari potest, tam strictè quendam obligans, nec ab amore respectu sui: quia bona seu naturæ seu fortunæ, & vita ipsa, si invasori parcitur, nobilius & amplius compensari potest bonò virtutis, nec ab amore respectu proximi, & societatis, seu Reipublicæ; alia enim media suppetunt, quibus incommoda ab ejusmodi invasoribus venientia in Republica arceri possunt. 2dò sententia illa Thümmigiana gravem aspergit labem sanctis, quos colit in aris Roma-

na Ecclesia, Martyribus, qui passi amore aut fidei, aut virtutis, hostibus suis, etiam cum commodè possent, se non opposuerunt; si enim ad resistendum fuisset obligatio, & si è medio tollendi fuissent ab illis hostes sine dubitatione ex jure naturæ, non tollendo eos è medio, contra jus naturæ egissent, & nunc ob hoc ipsum, quod fuisset transgressio legis naturæ, ab Ecclesia Romana Catholica palàm colendi exponerentur. Quod quàm imprimis ab Ecclesia sit absolum, quæ sanctitatis Magistra est, sole profectò clarius est. Et ex hoc ipso clarescit: quàm parùm sequi oporteat Philosophum Catholicum & Orthodoxum institutiones Thummigii seu Wolffii ut ut cæterà à multis proclamatas. 3tiò servire etiam pro ratione potest cōtra citatū Thūm-migianum paragraphum: quòd permessa sui defensio sit favor à jure concessus. Favore autem, ut constat omnibus, nemo ex jure, & lege uti tenetur, & obligatur; ergo. Nunquid teste Quintiliano declam. 7. *omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas quidquid in favorem alicujus inventum est. Desinit privilegium vocari posse, Si cogas: cuncta si videtur, jura percurrere, nusquam adeò sollicita pro nobis lex est, ut quod præstat, extorqueat.*

25. Sed oppones, ordinatæ charitatis est vitam propriam præferre alienæ; ergo est obligatio ad sui conservationem. & defensionem. 2dò: est obligatio naturalis vitam conservare per media licita, atqui juxta responsum datum defendere se cum nece invaloris est medium licitum; ergo 3tiò: Homo est custos & non Dominus suæ vitæ, ergo custodire seu defendere vitam tenetur.

**R.** Dist. Ordinatæ charitatis *permissa* est vitam propriam alienæ præferre C.A. ordinatæ charitatis præceptæ N.A. & Conf. ob rationes num. priore datas. Ad 2dum D. M. est obligatio naturalis conservare vitam per media licita, nisi vita meliori bono, nempe virtutis compensetur, transf. M. si compensetur N. M. sic d. m. & defensio sui est licita, potest tamen meliori bono compensari quàm vita sit C. m. non potest n. m. & C. Ad 3tium C.A.D. C. ergo tenetur eam custodire sic: ut nunquam sibi ipse manus violentas inferat directè C. C. sic: ut se nec negativè habere possit, & indirectè ad sui occisionem, aggressori non resistendo, concurrere N. C. distinctio superius jam explicata est; Ergo

26. Ethice: si adhuc insurgendi contra aggressorem tuum ardet cupido: occide eundem & interfice; sed ea ratione, qua  
hostes

hostes suos occidit Sigismundus Cæsar. Hic cum à quodam Hungariæ Palatino carperetur, quòd facile offensas remitteret, dignum clementissimo Cæsare reddidit responsum: inimicis, inquebat, *non parco, sed interficio; quia ex inimicis amicos efficio.* Dum quis occisus est, verè de illo dicitur jam amplius non est, id verum est. dicere de inimico tuo, quem tibi riddidisti amicum: inimicus tuus modò non est, ergo obiit, ergo interfectum est, quidquid ante hac erat inimici. Æn: Silv. l. 3. comment. de rebus Alpho. sic hostes occidere Ethici & sapientis est.

## CAPUT IV.

### De officiis erga alios.

I. Q. UÆRES I. *An homo homini quædam prestare officia ex jure nature teneat, r?*

R. Affirmativè. Ostensum est suprà felicitatem hominis, ad quam homo tendere debet, consistere partialiter in pace & tranquillitate, etiam cum proximo, atqui nisi proximo quædam officia exhibeantur, pax illa & tranquillitas cum proximo non habebitur. Videtur itaque, & manifestum est, ad ejusmodi exhibenda proximo officia

na-

naturæ esse obligationem. Per idonea hæc officia expressit similitudine Seneca epist. 95. inquit. *membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret, hæc nobis amorem reddidit mutuum, & sociales fecit.* Nequeo præterire silentiò Tullium imò de legibus capite 10. ità differentem: *quoniam non nobis solùm nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partim amici, atque, ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur ad usum hominum omnia creata, homines autem hominis causâ (videlicet ut ad finem ultimum consequendum mutuis se auxiliis juvent) esse generatos, & inter se aliis alii prodesse possent, in hoc naturam debemus Ducem sequi, communes utilitates in medium adferre, mutatione officiorum dando, accipiendo tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter societatem homines.* Strinxit hoc effato pereleganter Oratorum Princeps, dictante illi naturæ lumine, quæ subsequis quæsitis sumus enucleaturi.

2. **Q**UÆRES II. *Quod sit fundamentum officiorum erga alios?*

**R.** Thūmigijs Wolffianus fundamentum officiorum erga alios assignat *Voluptatem*. Philosophiæ universalis §. 67. & directè institutionum J. N. C. 5. §. 79. ubi ità: *Perfectionis intuitus voluptatem parit, atque adeo illam (nempe voluptatem) qui promovet, felicitatem alit.*

*alterius promovet; debemus ergo, seu ideo (hoc enim Ly. ergo significat) quia perfectionis intuitus voluptatem gignit, felicitatem alterius promovere.* Totum assertum hujus itaque est substantiæ breviter: debemus conitari, ut voluptatem inspectis nostris actionibus, alter sentiat. Hoc est, quod in fronte officiorum erga alios tanquam communem regulam præmittit, hæc basis est, cui obligatio erga proximum innititur, hic fons, unde officia alteri præstanda promanant, Profectò ludicrè!

Ità enim verò obligatio erit agere, ut proximus videat, quò illi placeamus? ergo ferè campus panditur blanditiis & adulationibus &c. ergo jam legi naturæ satisfecimus, licèt perfecti non simus, modò appareamus, & possit in nobis videre seu intueri proximus perfectionem, ergo, quia hunc delectat istud, alterum illud, ità: ut distincta trahat sua voluptas quemque, in omnes nos formare formas jure naturæ obligabimur; ut, quoniam cuique officia præstare obligamur, sua cuique ex nobis voluptas sit? Hoc autem, nempe esse voluptati omnibus, & omnibus placere, est impossibile, ergo & impossibile est, ut quis legi naturæ erga alterum satisfaciat; sed hoc erroneum, & legi naturæ valde injurium. Ergo.

Ac-

Accedit pro ostendenda asserti & obligationis illius falsitate, quòd, quia quò magis videbimur perfecti, eò majorem alter voluptatem sentiet, etiam dum illa agemus, quæ nulla cæteroquin lege præscripta sunt, supererogatoria videlicet, & heroica virtutum facinora. quòd inquam ad illa etiam supererogatoria, & heroica, utpote voluptatis in proximo causativa, essemus obligati ex jure naturæ, quod asserere profectò multum est nimis, & obligatio lumini naturæ difformis. Aliud ergo fundamentum officiorum erga proximum statuendum est.

**R.** Itaque ad quæsitum quemadmodum aliorum officiorum, ità & officiorum erga alterum fundamentum rursus est amor, debitus cuique naturaliter, seu necessarius ad felicitatem homini propriam (quæ etiam in pace & tranquillitate cum proximo consistit) consequendam. Et quæ hic amor officia exigit, ut his positis certò obtineatur, & his non positis absolutè non obtineatur dicta felicitas, illa juris naturæ materia sunt.

Et quoniam spectatâ naturâ homines omnes sunt æquales, & æqualiter feruntur ad finem; ideo amor insitus omnibus æqualiter & pariter omnes obligat, ad officia tanquam ad media, ad finem consequendum



dum necessaria conformiter ad universale circa hæc officia erga alterum dictamen : *Quod tibi vis fieri vel non fieri, alteri feceris vel non feceris.*

4. Q. III. *Quotuplicia sint hæc officia erga alterum?*

R. Alia esse *absoluta*, alia *hypothetica*, *perfecta*, alia, alia *imperfecta*. *Hypothetica* : quæ obligant supposita aliqua conditione v. g. ex supposito, quòd conjux sit : Alia *absoluta*, quæ sinè suppositione aut conditione obligant v. g. alteri suum non rapere. *Officia perfecta*, quæ quis tenetur præstare alteri jure stricto & riguroso supponente necessitatem absolutam ità : ut negligens hæc officia vocetur *injustus* formalissimè. *Conjuncta* sunt quandoque cum coactione, ità ; ut vi extera ad ea quis præstanda cogi possit, & exigant reparationem. *Officium* ejusmodi est v. g. *neminem ledere*. *Officia imperfecta*, quæ non obligant jure tam stricto & riguroso, sed duntaxat quandam spectant æquitatem naturalem, ità : ut hæc negligens vocetur *iniquus*. Nec supponunt necessitatem absolutam, nec pariunt obligationem cum coactione, sed fundantur in solo æquitatis amore. Est tale officium imperfectum, seu potiùs minùs perfectum v. g. *erranti viam monstrare*.

Con:

5. Contra hoc ipsum objicies officia imperfecta non connectuntur cum justitia & debito, ergo non videntur esse objectum materiale juris naturæ; sed potius referenda ad virtutes Ethicas.

**R.** D. A. Officia imperfecta non exiguntur à justitia rigorosa & strictissimè tali C. A. non exiguntur à justitia propriè tali N. A. instantia est in justitia distributiva, quæ certè nec coactione, nec restitutione stringitur; & tamen est justitia propriè talis, ergo à pari: officia enim ista cum fundentur non in quocunque amore humanitatis, sed in amore æquitatis naturalis, verè participiant rationem formalem justitiæ, id est honestatem relucens ex debito alteri reddendo. Apparet præterea propriè illa esse juris naturæ objecta; quia negatis iis ad conservandam pacem & tranquillitatem cum proximo, seu felicitatem hominis, in mediis opportunis si non positivè, saltèm negativè defectuosa esset natura. Bene etiam de officiis imperfectis notandum, quòd imperfecta, si adsit necessitas summa, ea præstandi, fiant & transeant in perfecta.

6. **QUÆRES IV.** *Qualia sint officia imperfecta ex jure naturali alteri præstanda?*

R.

**R.** Exposita numero priore officiorum imperfectorum quidditate facile colliges: inter hæc numerari: v. g. monstrare viam erranti, non prohibere calorem argenti, umbram languenti, haustum sitiienti, favere, ac dispensare rem alteri, quæ nobis esset corrumpenda vel peritura. Talia denique quæ, ut ait Cicero, l. 1. de offic. 1. accipienti utilia, danti non molesta aut nociva sunt, adeoque communi nomine vocantur *res innoxie utilitatis*. Quæ, qui negat, etsi ut dictum, non rigorosè sit injustus, ut cogi ad ea præstanda vi externa queat, tamen iniquus est. Censet id ipsum Seneca cont. 11. inquiens: *Iniquum est collapsis manum non porrigere: commune hoc jus generis humani est.* Itèr rursùm Cicero de offic. 16. *res innoxie utilitatis ad communem usum hominum à natura genitas fuisse, contestatus est.* Plura ejusmodi officia ex Plutarcho refert P. Ignatius Swartz in jure nat. Part. 1. t. 5. Inst. 1. §. 2. *Quòd nempe neque alimenta nobis fas sit perdere, ubi ipsi plus satis habemus, neque fontem, postquam inde quantumlibet potaverimus obturare, aut occultare, neque signa navigationis, aut itineris abolere, &c.*

Itèr observa: quòd huc pertineant tanquam juris naturæ objecta actus non tantùm externi: sed etiam interni v. g. charitas proximi: quia defectu internorum,

facilè deficerent externi, inefficaciter, & insufficienter ad externos, sinè internis legis naturæ esset obligatio, quod advertit scitè Seneca epist. 95. inquit: *Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas, ab hac enim est actio.*

6. **Q**UÆRES V. *An ejusmodi officia etiam hostibus præstanda sint: ex jure naturæ?*

**R.** Negativè: si quæstio pergat de iis hostibus, qui damnum actu inferre parant, si præsertim per officia illis præstita, aut contra te, aut contra Patriam viderentur arma suppeditari. Hic omni jure licet hosti negare annonam, prohibere aquam, nega e transitum &c. ratio est: cui licet plus licet & minus, atqui erga hostem licet plus, nempe occisio, ergo licet & quod est minus, negatio videlicet horum officiorum. Quod si tamen ejusmodi negare officia nulla suadet utilitas, sana ratio, aut necessitas, sed potiùs vindicta. Non est, quòd ab eorum præstatione excuset; iniquum enim est, nullò bonò æqua lance trutinatò, nocere alteri, ergo.

7. Si opponis: principium quoad actu dicta officia universale est: quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris; atqui tibi ab hoste tuo nolles præfata officia negari, ergo nec à te alteri neganda sunt. 2dò *Socrates & Hierocles* citati ab *Heinecio* damnarunt

sententiam : *amicis esse faciendum bene , inimicis male , ergo manifestè sequitur nequaquam illis communia beneficia esse neganda.*

**R.** Cum distinctione M. quod tibi non vis fieri alteri nè feceris , si ordinata charitas bona propria non suadeat præferre alienis , & uti jure inculpatæ Tutelæ C. M. alteri nè feceris , si id suadeat ordinata charitas &c. N.M. sic d. m. & n, C. Ad 2dum Respondeo Socrates & Hierocles damnârunt eam sententiam, tanquam minus virtuosam, & damnârunt in circumstantia , ubi ex hoc amore non iminet damnû ab hoste C. damnârunt eam sententiam tanquam verè injustam , & repugnantem juri naturæ N. M. utilissimè hic revocaveris aliud esse materiam virtutis Ethicæ , aliud materiam & objectum juris naturæ. Illa respicit esse melius ; hæc esse simpliciter, & officia simpliciter necessaria ad finem consequendum, quod bene notandum, nè, ut à multis contingit, Ethicæ & juris naturæ objecta confundantur.

8. **Q**UÆRES V. *Quæ sint officia perfecta alteri ex jure naturæ præstanda ?*

**R.** Sunt illa omnia, quæ ex stricto jure & justitia exigit amor erga proximum in ordine ad pacem & tranquillitatem, &

felicitatem homini propriam, quæ etiam actus quandoque concernunt internos. Puta: amorem erga proximum. odium, invidiam &c. Ad quos internos, nisi quoque esset juris naturæ obligatio *inefficaciter, defectibiliter, insufficienter* ad externa eadem lex naturæ obligaret, ex rationis paritate, quæ pro officiis imperfectis supra data est.

9. Sunt autem ejusmodi officia in genere duo: *neminem lædere, suum cuique tribuere.* De his Cicero I. de leg. c. I. *Iustitiæ primum munus est, ut nè cui quis noceat, nisi laceffitus injuriâ, deinde, ut communibus utatur pro comunibus, privatis ut suis. sunt autem privata nulla natura, sed quia aliquid eorum, quæ naturæ fuerunt communia, obtigit cuique hominum varia ratione, id quisque teneat. Si sibi eo plus appetet, violabit jus humanæ societatis.* Et rursum tertio officiorum c. 6. *Si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quòd is homo sit, consultum velit necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem, quòd si ita est, una continemur omnes & eadem lege naturæ. Idq; ipsum si ita est violare certè alterum lege naturæ prohibemur.*

10. Lædendus verò proximus est, neque opere v. g. per furta, neque verbò v. g. per mendacia, neque cogitatione v. g. odiò. Non in intellectu per erronea, & heterodo-

xa principia, non in voluntate eam depravando, & alliciendo ad vitia. Non in bonis corporis v. g. per verbera. Non in bonis fortunæ v. g. rapinas. Non in bonis famæ v. g. per detractiones &c. quæ & similia, ut patet consideranti fundantur in amore naturaliter debito, & simpliciter ac absolutè necessario in ordine ad finem; ergo meritò juris naturæ materia sunt.

11. **Q.** UÆRES. VI. *An & restitutio seu dampni reparatio, si quem re aliqua defraudasti juris naturæ materia sit?*

**R.** Affirmativè. Atque adeò *quid quid meum non est, redeat ad Dominum.* Senec. 7. benef. c. 20. Nisi enim lege etiam naturæ ad dampni illati reparationem teneremur, inefficax & enervis esset ejusdem naturæ lex de altero non lædendo. Itèm non præcepta reparatione facienda illi, qui læsus est, pariratione, ac si præcepta non esset, alterius læsio, pax societatis, & Reipublicæ turbabitur. Ergo.

12. Adverte verò ad hoc, ut urgeat præceptum restitutionis requiri duo: 1mò: ut læsio & dampni illatio revera fuerit injusta, seu facta per injustitiam propriè talem. Unde non urget, si præcisè ob neglecta charitatis officia alter læsus est. 2dò: urgere præceptum restitutionis: si læsio etiam dun-

taxat nobis est imputabilis. Imputabilitas autem seu potius capita propter quæ læsio imputatur notis illis versibus complexa sunt.

*Jussio, consilium, consensus, palpo recursus,*

*Participans mutus, non obstans, non manifestans.*

13. Imputabilitatis hujus, & natæ ex in-justitiæ ignari non erant naturæ sequentes ductum veteres. Hinc Cicero primò officiorum c. 7. *injustitiæ genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum ab iis, quibus inferuntur, si possint, non propulsent injuriam.* In quem sensum eodem libro c. 9. effatus est: *qui injustè impetum in quempiam facit, aut irâ, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus ad se re videtur socio; qui autem non defendit, nec obstitit si potest injuriæ, tam est in vitio, quàm si Parentes aut amicos aut Patriam deserat.* Quantum proinde cavemus re ipsa ipsi lædere alterum, tam quoque caveamus læsionem posse alterius nobis imputari.

Plura de restitutione Theologi morales, & juris utriusque consulti.

14. **Q**UÆRES VII. *An, & quæ officia erga alterum observanda ex lege naturæ in sermone?*

R. Sup-



**R.** Suppositò ( uti ad oculum patet ) quòd ad habendam cum proximo pacem & tranquillitatem, atque adeò felicitatem naturæ rationali propriam medium absolutè necessarium sit conversatio. Ad conversationem verò requiratur loquela, per quam, experientia teste, & læditur, & promovetur dicta felicitas. Sequitur: omnino etiam circa officia in sermone versari jus naturæ.

Et nominatim quidem præcipitur *veracitas*, quæ est *veritas in loquendo*, seu *sermo conformis conceptui loquentis*. De hac Lipsi. Polit. c. 13. quòd sit: *veracitas maximum vinculum societatis* in commerciis nempe in contractibus & fæderibus &c. Ad quæ & similia quia necessarium medium est *veracitas*; ideo meritò à juræ naturæ præcepta est; Nisi enim illa à natura præciperetur, deficeret natura in medio necessario ad commercia, fædera &c. & verò tollatur ab his *veracitas*, & quàm pax, & tranquillitas cum proximo turbabitur, illicò patefcet. Unde manifestum est, quòd felicitas, in quantum à sermone dependet, includat *veracitatem*, cuius in conversando habeatur *sinceritas*, & à mendaciis *securitas*, & securitas quidem *absoluta*, semel pro semper, nè ullum adsit periculum aut dubium in audiente, quòd per sermonē decipi. Utinam potest! omnibus

bus hujus veracitatis tantus esset amor qui erat Epaminondæ Thebano teste Alex. l. 9. c. 10. qui veritatem tam sanctè coluit, ut nunquam nè joco quidem mentiri deprehensus sit. Pythagoræ tale veritatis erat pretium, ut interrogatus, quid homines similes DEO faceret, reposuerit: *Tunc eos DEO similes fieri, cum veritatem exercent apud Stob. serm. 11.* Ità si sæculò nostrò veritas æstimaretur, cessarent æqua multorum, sermone deceptorum lamenta: *heu pietas! heu priscæ fides!*

15. Q. UÆRES VIII. *An & mendacium juris naturæ materia sit?*

R. Sequitur ex priori quòd, ut veritas præcipitur, ità mendacium (quod sancto Augustino in enchyridio, & è communi Patrum sententia, *est dictum contra mentem fallendi causá:*) lege naturæ prohibeatur. Et quidem seu sit *perniciosum*, seu *officiosum*, seu *jocosum*. Ratio prohibitionis est aliis: quia mendacium est malum intrinsecè; de quo quia rursus quæri potest, cur malum sit intrinsecè &c. præplacet causa in universalibus datis supra juris naturæ principiis fundata. Ideo itaque mendacium lege naturæ vetitum est: quia repugnat amorì seu sibi seu proximo, & societati naturaliter debito. Id est necessa-  
rio

rio ad felicitatem homini propriam, Repugnat enim mendacium absolutæ securitati de omni deceptione, ac sinceritate. Repugnat itèmi fini locutionis immediato, qui est *communicatio mutua quoad animi sensa*, ergo. Quia verò eadem stant rationes pro quocunque mendacio & quacunque in circumstantia, igitur omne mendacium jure naturæ vetitum est. Si nempe in illa circumstantia esset licitum mentiri, semper audiens posset vereri nè à loquente (qui pro effræni hominum licentia fingere sibi passim cùm vellet, posset, hic & nunc mendacium licere) deciperetur; ideóque nunquam de sinceritate loquentis audiens esset securus, nunquam sat secura fœdera, secura commercia &c. Et quia, ut agebat Aristoteles: *Hoc consequuntur mendaces, ut, cùm vera dixerint, illis non credatur.* Diog. Laert. in Arist. Segm. 17. & Cicero 2. divin. c. 71. *mendaci homini nè verum quidem dicenti credere solemus.* Magna igitur ex licito mentiendi usu in Republica perturbatio oriretur. Ergo meritò simpliciter mendacium omne prohibetur. Eundem in sensum loquitur Palavicinus Philosophiæ moralis l. 1. c. 21. *Cùm per loquelam regantur deliberationes cunctæ, judicia, distributio pœnarum & præmiorum. Verbò universa rerum omnium*

*procuratio contineatur. Præstat, nullo ut eventu mentiri liceat. Alioquin audiens jure verberitur, nè tum forte in eo eventu, in quo mendacium innocens est, loquens aut re aut opinione saltèm versetur. Quocirca nulla vel perspectissima loquentis probitas omnem de re, quam loquentur, nec in assentatione suspicionem, nec in deliberando hesitantiam merito diffabit in audientium animis. Ex quo ipso solves facile.*

16. Si quis objiciat ex compilatore Wolffianarum institutionum Thümmigio de officiis circa sermonem c. 5. §. 119. *Quòd si falsiloquium vel in nostrum vel in alterius emolumentum cedat, non in alterutrius damnum, nec aliud suppetat medium illud obtinendi, hoc avertendi, nisi falsiloquiò admissò; quin id committat, quis sibi religioni ducat? ergo licèt per falsiloquium contra mentem loqui. Prob. A. ex ejusdem paragraphi initio: homo & suam & alterius perfectionem promovere studeat pro virili; ergo licet loqui contra mentem in suum, vel alterius emolumentum.*

Priusquam in forma respondeam præmittenda est definitio falsiloquii, quam dat Thümmigius. Integerrimè enim in acceptione nimirum sana, & Ecclesiæ Romanæ conformi, uti licet falsiloquiè; quod est sermo difformis objecto non autem dif-  
for-

formis conceptui & sententiæ loquentis ità dico commune Catholicorum & sanctorum Patrum idioma. Non autem licet in sensu prout falsiloquium definit Thümmigius. Citato c. 5. §. juris naturæ §. 115. *Falsiloquium est sermo animi nostri sententiæ contrarius. Dùmque illud in alterius vel loquentis ipsius vergit damnum, mendacium evadit.* Sic enim definitum falsiloquium est apertè mendacium. Nimirum juxta S. Augustinum l. 1. de mend. c. 3. *ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis aut quibuslibet significationibus enunciat; ergo seu in damnum cedat, seu non cedat, modò aliter quis loquatur, quàm habeat in animo, modò sermo animi sententiæ sit contrarius, mentitur.* Et verè mendacium committit; ergo imprimis sustinenda non est Philosopho Catholico Thümmigiana aut Wolffiana falsiloquii definitio. Qua rejecta.

**R.** *Seu sermo animi nostræ sententiæ contrarius apertè dicatur, quod est, nempe mendacium, seu speciosò fucò & nomine falsiloquii pallietur, nunquam licet nec in quodcunque seu privatum seu Reipublicæ emolumentum loqui contra mentem, & loqui sermone animi nostri sententiæ contrariò. Est sententia communis & veritas*  
Or-

Orthodoxa, cui manifestè contraria est Wolffiana citata. Et non tantùm contraria Ecclesiæ Romanæ legibus positivis, sed & juri & legi naturæ ex datis suprâ rationibus, nimirum hæc sententia est everfiva *finis immediati* à natura per sermonem intenti, puta manifestationis sensibilis, quoad animi sensa. Itèm everfiva *finis loquelæ mediati*, seu felicitatis publicæ, & ( quia publica felicitas redundat in privatos ) per consequens etiam everfiva felicitatis privatæ; evertit enim sinceritatem in conversatione mutua, securitatem absolutam in commerciis, fœderibus &c. Simpliciter requisitam, ergo.

2dò sententia hæc latissimam sternit viam ad mentiendum promiscuè in tantis, iisque ferè continuis mentiendi occasionibus, & in tanta mentiendi proclivitate; Facile enim fingetur modò agi de emolumento seu proprio seu alieno, modò avertendum esse damnum seu proprium seu alienum, adeoque modò licere mentiri, cum minimè licet. Quod quia tali casu liceret uni, alteri, tertio, & quarto, & omnibus, quantum sinceritas conversationis & commerciorum securitas fluctuaret, quis haud dubiè dispicit. Esto igitur ejusmodi falsiloquium Wolffianum ( id est  
Catho-

Catholicè mendacium) in privati cedere commodum videretur; in ingens tamen præjudicium vergeret toti Societati humanæ; ergo est juri naturæ contraria, bonoque publico admodum pernicioſa ſententia Wolffiana. Dolendum itaque, quòd nihil ominus opusculum illud tam præjudicioſas & noxias publico, continens Wolffianas inſtitutiones, tanquam opus tamen ſummè publico utile à nonnullis adhuc commendetur. Audiatur præ Thummigio, & Wolfſio magis juri naturæ conformiter ſentiens Cicero, & interrogans 3. offic. c. 20. *Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumentum ſui cauſâ criminari, præripere, fallere? nihil profectò minus.* Ad probationem A. etſi ſponte ſua ex data reſponſione illa corruat R. D. A. Homo & ſuam, & alterius perfectionem promovere ſtudeat pro virili ſalvis naturæ legibus, & ità: nè curata ejuſmodi perfectio ſeu ſui ſeu alterius in præjudicium cedat toti ſocietati humanæ C. ſecùs N. A. & C. diſtinctio per prius reſponſum jam explicata eſt.

17. **Q**UÆRES IX. *Quid ratione contractuum ad jus naturæ pertineat?*

**R.** Etſi contractus ipſi, ſeu emptionis, venditionis, locationis, commutationis eſſe juris naturæ materiam nullo è principio oſtendi

stendi possit. Obligatio tamen, & fides in ejusmodi pactis, & contractibus servanda, etiam hostibus teste Cicerone 3. *Offic. c. 29.* jure naturæ præcepta est; nempe tanquam positivè exhibita ab amore proximo naturaliter debito, & ad felicitatem naturæ rationali propriam simpliciter necessario. Qua enim ratione alioquin humana in societate absque præjudicio, & detrimento commercia subsisterent? meritò igitur pro vinculo servandi pacta, & contractus Ulpian. *L. I. p. I. ff. de pact. æquitatem naturalem adstruit.* *Quid enim, inquit, tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare.* Causam addit Stagyritta: quia sublata fide tollitur, quod inter homines est commercium.

18. Ut verò contractus obligationem, & fidem servandam jure naturæ inducant, necesse est illos esse validos. Quales ut sint, spectato jure naturæ requiritur: 1<sup>mò</sup>: ut in contrahentibus mutuus sit consensus, 2<sup>dò</sup>: ut contrahentes ad contrahendum sint habiles. 3<sup>tiò</sup>: ut materia contractûs non sit de re mala, aut in malum finem intenta. 4<sup>to</sup>: ut absit error vel dolus circa substantiam, de qua contrahitur, quarum conditionum si desideretur vel una, contractus est nullus & consequenter nulla ad eum servandum



dum obligatio. Reliqua de contractibus apud Moralistas, Canonistas, & Civilistas, non apud Philosophos, & prima naturæ lumina inquire.

19. **Q**UÆRES X. *Quid sit, & quotuplex status societatis, & num spectato jure naturæ extra societatem licitum sit vivere vitam solitariam?*

**R.** *Societas est status, & conditio vivendi orta ex consensu duorum, vel plurium in eundem finem, & media fini huic obtinendo necessaria conspirantium. Multos ob fines iniri societas potest, & ideo status societatis omnino multiplex est. Alia quidem Societas simplex est: quæ ex aliis minoribus societatibus non componitur; qualis est conjugalis familiæ herilis, quæ etiam vocatur domestica. Alia est Societas composita, quæ ex aliis Societatibus componitur, uti civitas, res publica, & vocatur aliter status aut societas Civilis.*

20. Ad quæsti partem alteram **R.** *Affirmativè. Nempe universim vita socialis non est necessaria, ut quis ad finem suum ultimum & felicitatem substantialem perveniat. Quin juris naturæ obligatio est, si quæcunque alia felicitas (quam supra integram & in pace partim secum ipso,*  
par-

partim in pace cum proximo consistere diximus) obstat fini ultimo consequendo, eam integram felicitatem contemnere, ut felicitas substantialis, seu conjunctio cum Deo obtineatur; ergo manifestè apparet salvis naturæ legibus separabilitas à vita sociali. 2dò societas quæcunque medium est ad perveniendum ad felicitatem substantialem. Quod si igitur medium ad dictam felicitatem perveniendi, coràm est aliud, illudque ferè opportunius, quale & veterum Philosophorum & Christianorum Anachoretarum testimoniò censetur vita solitaria; non video cur asseratur ejusmodi medium opportunius seligere esse juri naturæ contrarium, & à natura vetitum, ergo licet.

21. Sed objicies cum Thümmigio institutionum Wolffianarum parte 2da c. 1. de Societate in genere §. 262. *Homo alterius felicitatem perinde ac suam promovere obligatur. Vitam adeò solitariam in eremo agere haud quaquam licet; ergo vetita est vita solitaria.*

**R.** Hic Wolffianus paragraphus vitam solitariam prohibens tanquam lege naturæ vetitam admodum est improbus & iniquus. Damnat imprimis vitæ solitariæ laudes & fructus ipsi à gentilibus & agnitos

tos & commendatos, quibus, *secum vivere, secum versari, turbam fugere, secum habitare, &* tota denique solitudo ferè *sola beatitudo* visa est. Violati itè juris naturæ reos agit tot millia sanctorum Anachoretarum & Religiosorum, suæ tantùm salutis intendenti-um, involat imò, & condemnat communem S. Romanæ Ecclesiæ approbationem, vitam Anachoreticam solemni apotheosi & vaticanis oraculis sæpè confirmantis; quod utique iniquum est; ergo.

Ut verò ex ipsius naturæ principiis falsitatem citatæ sententiæ Wolffiano-Thümmigianæ probem, adverte principium rursus generale. Vita solitaria in eremo non repugnat amori, qui est debitus Deo naturaliter, ritè enim suscepta, præ vita sociali ad conjunctionem cum Deo disponit. Non repugnat amori, sibi met ipsi naturaliter debito; utique enim iterum opportuniùs in solitudine, in pace & tranquillitate secum ipso vivitur; ergo. Nec repugnat amori, qui est proximo naturaliter debitus, in quo videtur esse vis & difficultas; sed probatur: si repugnaret vita solitaria amori proximo naturaliter debito tunc ideo: quia exhibenda sunt officia proximo; atqui hæc ratio non obstat; ergo

m. probatur: multa ejusmodi officia præcepta sunt ex supposito, quòd quis non *homo simpliciter*, sed *socius sit*. v.g. *Conjux aut pater &c.* quibus omnino invita parte altera & non contentata contractus tales sociales rescindere, & in eremum concedere non licet. Quòd si verò talis non adsit suppositio invitæ & contractæ ejusmodi societatis, tum officia erga alterum vel obligant ex supposito, quòd inter homines eorúmque communitate quis sit: vel hæc officia erga alterum præcepta, v.g. *mutua auxilia*, facile ab aliis suppleri possunt, & supplentur; ut ratione separationis unius à communitate nè quidquam in Republica notetur deesse; ergo officia præstanda alteri nihil urgent, ut vita solitaria in eremo jure naturæ vetita censeatur. Amænissimè id profequitur Barclajus Argenidis l. 5. c. 12. *Si quem animus subit experiunda suavitatis, quam habet nostra (Religiosorum, seu etiam degentium in eremo austeritas) nè illum argumenta quævis deterreant, nève suo cælibatu credat solitudinem orbi inducere. Ultronobis accedat. Adhuc populis proletarii supererunt. Adhuc artificia vigeant, restabuntque, quot sat erunt urbibus, terrisque colendis. Et porrò: desine vereri, nè toti hominum generi desiderium veniat se in disciplinam nostræ Philosophiæ dedendi,*

Dii enim hoc beneficium magis habent eximium, quam ut illud toti populo indulgeant. Nemini autem absque eorum impulsu venire, hæc vitæ mens potest, nemòque in ea, nisi iisdem iuvantibus perdurat; ergo inanis est prohibitio vitæ solitariæ Wolffiana. Quin contraria est legi naturæ; aberrat enim à fine legis naturæ, nimis que multum tribuit politicismo. ceu homo duntaxat esset propter alios & propter Rempublicam. Qua ratione sistit in fine merè temporaneo, qui vitæ terminò clauditur; nec attendit præmia vitæ alterius, & conjunctionem cum Deo, quam tamen homini etiam in puris naturalibus, constituto pro fine assignari suprà probavimus; ergo.

22. **Q**UÆRES XI. *Quid sit societas conjugalis & an singulis sit præcepta?*

**R** Societas conjugalis est societas prima afferente id etiam Tullio I. off. c. 17. gradus plures sunt societatis hominum. 1. ma societas est in conjugio. Optimè definitur: quòd sit societas simplex inter marem & fæminam procreandæ, educandæque prolis gratiâ. Alios conjugii fines minùs principales, & longo ordine recenset idem Tullius fragm. T. 3. quos inter: *subsidiùm mutuùm, solatium, & auxiliùm, quoad officia præsertim domestica.* Prorsus naturæ conformiter instituta hæc

societas est, vagos enim per concubitus humanæ speciei propagatio nec satis honesta, nec atis ritè disposita intelligeretur.

23. Præcepta est quidem hæc Societas toti communitati ab authore naturæ: *crescite & multiplicamini*, non tamen præcepta est singulis, eò quòd bonum societatis conjugalis bono meliori ( ut infrà cœlibatum esse probabitur ) possit compensari. Observat id ipsum Sanctus Thomas 2.2.q.152. art. 2. ad 1. *Præceptum Genesis crescite & multiplicamini non respicit singulos sed multitudinẽ hominum, quam necessarium est non solùm multiplicari corporaliter, sed etiam spiritualiter. Nec ipsi discordant Authores A catholici, ex quibus Puffendorff de J. N. l. 6. c. 1. §. 7. præceptum ( conjugii ineundi ) esse affirmativum, indefinitum, indeterminatum, quod non singulos necessariò & quovis tempore obligat.*

Ex quo manifestè erues licitum esse jure naturæ cœlibatum, & vel maximè etiã ideo; quòd bono conjugii melior sit. Partim: quòd ut ostendit *Haunoldus*, præter mentis singularem tranquillitatem, expeditiorem rerum cœlestium contemplationum adferat, partim: quòd majorem similitudinem mortalibus cum Deo, qui totus spiritus est adsciscat, partim denique: quòd etiam ad munia, ac naturalia officia quem-  
vis

vis aptiorem efficiat. Et idcirco ipsis etiam gentilibus magnum erat pretium vitæ cælibis, nec in cognita illis ejus utilitas. Quare Cicero rogatus ab *Hircio* ut post *Terentiæ* repudium sororem ejus duceret, negavit dicens: *non posse se uxori, & Philosophiæ dare operam simul.* *Socrates* quosdam de matrimonio ineundo dubios admonuit: *quemadmodum pisces O! Adolescentuli! qui nondum intra nassas sunt, volunt intrare; qui autem jam intus sunt, volunt exire, sic & vos nunc idem vobis accidat, videte.* &c. *Plato* interrogatus quando ducenda esset uxor, respondit; *juveni nondum, seni nunquam.* Rem nempe malam existimabant mulierem. Et ideo cum ex *Democrito* quæreretur: cur homo proceræ staturæ parvam, duxisset uxorem: ego inquebat: *in malo eligendo, quod minimum erat, elegi.* Ejusmodi propè infinita, quòd cælibatus conjugio potior sit, veterum sunt exempla & testimonia, ergo videtur juri naturæ esse conforme, ut licitus sit cælibatus.

24. **Q**UÆRES XII. *Quæ sunt officia, ad quæ obligat conjuges ex lege naturæ status conjugalis & an hæc societas jure naturæ sit perpetua?*

**R.** Inter officia conjugum imò censetur *fides conjugii, seu fidelitas.* 2dò *usus*

*matrimonii* in ordine ad finem, ad quem ex natura ordinatur. 3tò *mutua cohabitatio* 4tò *ut vir præsit uxori & dominetur*, mulier subfit, juxta illud Plinii in Paneg. Trajani *uxori sufficit obsequii gloria*. Observante nimirum Luca. Apolenio de offic. Christ. l. 2. c. 2. *videtur natura rationalis exigere, ut præstantior, firmior, fortiórque sexus sequiori, infirmiori, & imbecilliori præsit*. Hæc tamen viri in uxorem potestas non putanda est, esse *despotica* aut *herilis*, nec *absoluta*, sed *domestica* ad societatis conjugalis & familiæ terminos restricta, id est restricta ad causas conjugium & familiam concernentes, uti est determinatio domicilii, leges œconomicæ &c. Talis enim potestas sufficere videtur spectato universali naturæ principio in ordine ad finem societatis conjugalis; ergo.

An hæc societas conjugalis jure naturæ (de jure enim positivo & gentium moratarum nemo dubitat) perpetua sit, est sententia ipsis AA. Catholicis controversa. *Affirmantibus*, per vinculum temporarium non videtur satis fieri fini conjugii secundario seu communi subsidio perpetuæ cohabitationis: *negantibus* satis est NB. vi legis naturæ si ad usque prolem educatam perduret, qua educata mutua inter conjuges



ges alia officia omnia juxta eos desinerent. Utraque sententia non caret solida probabilitate.

Minimè autem probabilis est doctrina de dissolubilitate matrimonii, quam adfert Thümmigius instit. Wolffian. part. 2. de J. N. politico c. 2. §. 297. *Cum nemò paciscatur cum altero nisi sub conditione promissi adimplendi reciproci; pars innocens ad implendum promissum suum minimè tenetur. Atque ea est ratio tur adulterium solvat matrimonium.* Contraria hæc est, & directè opposita doctrina veritati quàm Tridentinum sess. 24. de matrimonio Can. 7. definivit nimirum: *adulterio nequaquam matrimonia dissolvi.* Atque adeò rursus in propatulo est, quam institutiones Wolffianæ Catholico sint amplectendæ! Probatur hæc inanitas dissolubilitatis conjugii per adulterium, etiam ratione ex sequelis: ex quibus argumentum (facta nempe reflexione de eo, quod futurū) sapienti Philosopho formare non modò congruit, sed necesse est, quid quid in præfatione opusculi sui contra consequentias, & consequentiarum consequentias Thümmigius occlamet. Sequelæ autem licitæ dissolubilitatis sanè essent absurdæ. Nam panderetur via malitiæ passim ad adulteria, quando cūque pars una conju-

gum novum conjugium aspiraret. Fieret conjugis adulteræ conditio melior, sua illi malitia patrocineretur, ut molestô conjugii vinculo se posset eximere, nec facilius à Xantippe domestica se liberandi esset modus, quàm per adulterium. Liberis etiam, qui haud dubiè matrimoniô solutô negligenterentur, ingens fieret præjudicium, & quod si hæc insuper passim & universim licentia esset, uti revera per jus naturæ, ad omnes extensum, omnino esset, quanta in Republica sequeretur perturbatio ! Ecce : consequentias ! quibus vel obiter delibatis statuat ipse prudens lector an sit conveniens matrimonia adulteriô dissolvi, ipseque concludat, num institutiones Wolffianæ à Thümmigio compilatæ idonea sint Catholicæ juventuti disciplina; esto multas utiles præceptiones complectatur; cum nihilominus ceu mista melle tam virulenta sensui Orthodoxo dogmata passim inspergant.

Plura de matrimonio tractanda supersunt de impedimentis, polyviria, polygama, sed cum alterius disciplinæ sit, de his enucleatius ex professo tractare; consultô prætermitto.

25. **Q**UÆRES XIII *Quid sit familia societas Paterna, & que officia Pare tum in liberos ?*

R,

**R.** *Familia etiam dicta domus est societas inter domesticos juxta Philosophum alia est completa, & est conjunctio inter Parentes, liberos & servos, alia incompleta & est societas inter Parentes & liberos NB. educationis gratiâ. Hæc posterior aliter vocatur Societas Paterna. Cujus finis primarius est prolis educatio; Nascitur itaque ex societate conjugali per ordinem ad educationem monet Cicero L. I. de fin. Etiam in bestiis vis nature inspicitur, quorum in fœtu, & educationis laborum cum cernamus, nature ipsius vocem audire videmur, dictante igitur natura ad prolis educationem obligantur Parentes ad quam, quia necessarium est medium potestas Paterna, igitur ipsa à natura Parentibus jus & potestas in liberos collata est, quam optimè definit Pater Schwartz J. N. part. 2. §. 3. quòd sit jus Parentum in liberos, quo actiones ipsorum ad vitam honestè & feliciter transigendam diriguntur. Adeoque hæc potestas Paterna est jus prohibendi, jubendi, castigandi, eaque omnia agendi sinè quibus ad finem suum liberi non pervenirent. Concernit hoc jus & Matrem & Patrem, Patrem tamen tanquam caput familiæ tangit præcipuè.*

26. **Q**UÆRES XIV. *Quæ sint officia Parentum in liberos?*

**R.** Facile ex dictis ea colliguntur, atque imprimis quidem Parentibus incumbit *educatio*, quoad corpus seu *alimentatio*. Et siquidem *ad bene vivendum*, minima est portio vivere Senec. de benef. 3. c. 31 incumbit iis quoque *educatio* quoad animam, seu institutio, *ut liberi vivant, & juxta rationem vivant*. Præterea inter officia Parentum est applicatio liberorum ad idoneum vitæ genus, provisio secundum vires in bonis etiam fortunæ, ut nihil desideretur eorum, quæ ad consequendam felicitatem tum integram tum substantialem necessaria sunt. Exigitur item jure naturæ & quidem vel maximè honestæ vitæ exemplum. Sæpè igitur meminerint Parentes doctrinæ juvenalis, etsi gentilis Satyr 14.

*Plurima sunt fuscine & famâ digna  
sinistrâ,*

*Quæ monstrant ipsis pueris, traduntq;  
Parentes.*

*Sic natura jubet: velocius & citius nos  
Corrumpunt vitiorum exempla dome-  
mestica.*

*Nil*

*Nil dictu fœdum, visuque hæc limina  
tangat*

*Intra quæ puer est.* .. - -

*Maxima debetur puero reverentia.* -

*Si quid turpe paras, nè tu pueri contemp-  
seris annos;*

*Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.*

Imagines siquidem Parentum sunt liberi & quoad corpus & quoad animum; & vita Parentum est speculum, ad quod suas plerumque actiones liberi coordinant.

Quia hæc autem officia, & educatio præstari possunt ab aliis quoque quàm Parentibus, igitur potestas Parentum ex jure naturæ concessivo aliis quoque idoneis instructoribus delegabilis est. Qua facta delegatione uti potestas Paterna in talem institutorem translata est; ita & officia ex jure naturæ proli præstanda esse transfusa censerī debent.

27. **Q**UÆRES XV. *Ad quæ vicissim jure naturæ obligentur filii erga Parentes?*

**R.** 1. Est amor erga Parentes de quo appositè Valerius l. 5. c. 4. *prima & optima rerum natura pietatis est Magistra, quæ nullo vicis*

lo vocis ministeriò, nullo usu literarum indigens propriis ac tacitis viribus charitatem Parentum liberorum pectoribus infundit. De eodem Cicero postredit. in sen: Parentes charissimos habere debemus, quòd ab iis nobis vita patrimonium, libertas tradita est, & rursus de amicitia c. 8. Ea charitas quæ est inter natos & Parentes, dirimi, nisi detestabili scelere non potest.

Ex hoc autem amore fluit metus filialis. nè Parentes offendantur, observantia, obedientia, gratitudo, reverentia & cætera officia, quæ præstare ante alios Parentibus obligamur. Rectè id annotavit Plutarchus de amore frat. Omnes homines palàm predicant primum diis, deinde Parentibus honorem deberi natura & legibus, neque liberos quidquam gratius diis facere posse, quàm si benignè & lacriter cum senore gratias referant iis, à quibus geniti, educatique sunt. Contra verò nullum esse majus, impietatis argumentum quàm contemptum & neglectionem Parentum. Itaque interdictum est nobis, nè quid mali aliis faciamus. Injustum autem & impium habetur non semper Patri ac Matri ea dicere, quibus latentur. Ita officia liberorum erga Parentes, docent etiam gentiles.

28. **Q**UÆRES XVI. De societate herili quid illa sit, & quæ circa illam ex jure naturæ officia observanda sint?

R. So-

**R.** *Societas herilis est societas inter inæquales id est inter Dominum & servum, ut hic nimirum Domino in commodum serviat. Quæ servitus jure naturæ non præcepta sed permittitur est, & dividitur bifariam, in pactitiam propriè dictam famulitium, quæ initur ex pacto: In legalem seu coactam, dicitur mancipatus, & deducitur ex legibus; & instituto gentium, bellò captos mancipantium. Spontaneæ servitutis officia desumenda sunt ex pacto. Ea igitur ejusmodi servus præstare tenetur, de quibus pactus est. Majora verò exigit mancipatus, qui Domino mancipii tribuit jus non in personam tantum, ut eam v. g. vendere possit, sed in personæ etiam res.*

29. *Generatim officia servorum esse noveris obtemperare Domino justa justè præcipienti, reverentia personæ Domini & industria in exequendis mandatis Domini. Domini verò partes sunt: justam servo suppeditare mercedem & victum (si de victu pactus est) imperia viribus commensurare, citra rationem in servum non servare. Tractare ut hominem, non ut jumentum. Et sit enim liber non sit, homo tamen est. Aptè hic Seneca I. de clem. c. 18. Servis imperare moderatè laus est; & in mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati posset, sed quantum tibi permittat æqui, bonique natura. Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem*

minem licere commune jus animantium vetat ; quia ejusdem naturæ est, cujus tu.

**Q.** UÆRES XVII. De Societate composita, seu civitate, quid sit societas composita, & quid de ea sit juris naturæ ?

**R.** Societas composita ex pluribus societatibus conjugali, familiæ, herili, est societas plurium perfecta consensu mutuo per summum imperium adunata in ordine ad beatitudinem civilem. Est naturæ iterum jure permissa non præcepta ; absolutè enim tota felicitas hominis & integralis & substantialis pax secum ipso, pax cum proximo & conjunctio cum DEO absque vita civili haberi posset. Consentanea est legi naturæ ; sed non illud, quod consentaneum, etiamsi admodum utile sit, jure naturæ præceptum est, sed tantum illud, finè quo dicta felicitas absolutè nequit obtineri.

30. Supposito autem consensu in hanc societatem quædam omnino sociis seu civibus (ut contrahentibus supposito contractu) fluunt officia, quæ imprimis ex fine hujus societatis mensuranda sunt, finis verò est *Beatitudo civilis*, eaque duplex. 1mò Felicitas externa, temporalium bonorum sufficientia, securitas, & tranquillitas vitæ. 2dò Et principaliter felicitas interna, quæ sita est in virtute, vitæ honestate, justitia Religio-  
ni &



ni & legibus saltè naturalibus conformi. Ad hanc itaque utramque felicitatem obtinendam, quæ officia necessaria sunt absolute, illa præcipiuntur, quæ hujus everfiva prohibentur. Reliqua, quæ præcisè ad eam beatitudinem tanquam *utilia* conducunt juris gentium, legumque civilium materia sunt, non in juris naturæ.

31. Nec opponas contra finem, & mensuram officiorum assignatam cum Machiavello ex præfat. suæ Sphæræ civit. *Statum civilem sine ulla virtute, ac religione salvum stare, ac conservari posse, aut cum Puffendorf quoddam religio ad statum civilem se habeat quasi impertinenter, ut adeo Principis nil intersit, quid quisque civium credat. Dummodo civili officio satisfaciat.* Ergo erronea est mensura beatitudo civilis, spectans felicitatem etiam internam & religionem. Confirmatur: religio non est propter civitatem nec civitas propter religionem, ergo. 2dò: multæ civitates coeunt absque cura religionis seu principali, seu partiali, sed cum cura religionis quasi accidentali. Ergo.

**R.** Machiavelli & Puffendorffii assertis sanioreni oppono Romani Oratoris sententiam, qui civitatem beatam censet non eam modò, quæ opibus firma, copiis locuples, gratiâ ampla, sed quæ simul virtute honesta

sta sit l. 7. ad Attic. epist. 11. Et adhuc majorem authoritatem S. Thomæ l. 1. de Regim. Principum c. 15. *Qui finem Reipublicæ immediatum assignat, non vivere simpliciter, sed vivere secundum virtutem. Non enim (inquit) homines congregantur propter solum vivere, secus & animalia forent pars congregationis civilis, sed ob bene vivere. Bona autem vita est secundum virtutem. Virtuosa igitur vita est congregationis humanæ finis. Et rursum oportet eundem esse finem multitudinis, qui est hominis, ergo.*

Et verò felicitas ac beatitudo civilis est utique beatitudo humana, ergo necessario intendit simul felicitatem internam sitam in virtute cum subordinatione ad Authorem naturæ. Si enim externam tantum spectaret sufficientiam, esset beatitudo civilis hominum, ipsis etiam brutis communis. Quod sustineri nequit, ergo. Ex his confirmationis D. A. Religio non est propter civitatem &c. est tamen civitas propter beatitudinem humanam C. est civitas propter beatitudinem quamcunque etiam brutis communem N. A. & C. Ad 2dum d. A. multæ civitates sic coeunt non diu ritè ita perstituræ feliciter, aut perstituræ merè per accidens C. A. secus N. A. & C.

Q UÆRES XVIII. *Quid circa summos imperantes sit juris naturæ?*

R. Plurima sunt imperantium, & eorum qui præsunt Reipublicæ officia, sed hæc potissimum non sunt dependenter à jure naturæ, sed dependenter à jure gentium, Atque hinc multæ illæ institutiones & præceptiones, quas assignat in opusculo suo Thümmigius imperantibus, & gubernantibus, ut ut iisdem sunt salutare perperam tanquam materia juris naturæ recensentur. Nec enim jus gentium cum jure naturæ confundendum est. Quæ verò ad imperantes ex *jure naturæ* pertinent, ea sumenda unicè sunt Principi à fine Reipublicæ, quæ est *salus Reipublicæ*, iterum utraque & *externa* & *interna* NB. rursus ita: ut quæ ex parte imperantium simpliciter, & absolutè necessaria sunt, ut subditi utraque illa salute potiantur, jure naturæ præcepta sint subditis præstari, quæ verò dictæ salutis eversiva sunt, à subditis removeri, &c. Quæ ad salutem eam promovendam salutaria & utilia sunt, materia fiunt non *juris naturæ* sed *gentium*, legumque civilium, adeoque non sunt fori hujus.


Eadem mensura officiorum, nempe *salus Reipublicæ*, est pro subditis, ex qua pa-

131 *Caput IV. de officiis erga alios!*

ri ratione desumes, quid iis ut subditis jus natura præcipiat, aut prohibeat.

Atque hæc in compendio de iis, quæ ex jure & justitia dictante natura, homini cuique agenda vel omittenda sunt, dicta sufficient. Restant ea, quæ ex lumine naturæ agere vel omittere rationi consentanea sunt, seu saluberrimæ institutiones ex Ethica monastica, politica & æconomica, id est: Pars II. III. & IV. Etiam hæ non verentur subinde tales comparere palam, quales ordinariis in lectionibus Philosophiæ practicæ præleguntur. Interim verò has juris naturæ ceu fundamentales præceptiones tibi redde familiares, quas vel ideo dedi in compendio, ut nôris, & experiaris ad beatè, rectèque vivendum non tantum per exempla, sed & per præcepta breve posse esse iter.

A. M. D. G.





Resolutiones historicæ ex  
iis, quæ anno præfente in or-  
dinariis prælectionibus Academicis E-  
thico-Historicis explanatæ sunt, fa-  
ctô initiô à Rudolpho I. ad no-  
stra usque tempora.

I.

**O**rtus *Rudolphi I.* & totius Augu-  
stissimæ Domûs *Habsburgico-Au-*  
*striacæ* non est (ût quidam errant)  
exiguus à natalibus, sed ab ipso *Ca-*  
*rolo M.* ût propinquissimè, ità glo-  
riofissimè derivatur.

II. Imperium præfens etiamnum con-  
venientissimè appellatur *Romano-*  
*Germanicum.*

III. Iniquô calamô proscinditur *Ru-*  
*dolphus I.* criminatione præfertim

Hippolyti à lapide: quasi dignitate Imperatoria abusus Italiam haud fati providè abalienâisset, & cumulandis suæ tantum familiæ opibus studuisset.

IV. *Albertus I.* nunquam Patriæ libertatis erat hostis, neque ausu nefario ad mentem præfati criminatoris, & rerum Austriacarum hostis Hippolyti, sed jure contra *Adolphum* æmulum assurrexit.

V. *Fridericus pulcher* à captivitate Trausniciana non solùm de facto; sed omni jure, & vi transactionis cum *Ludovico Bavaro* se Regem Romanorum & nuncupavit, & pro tali se in actis etiam publicis gessit, contrà, ac multi erroneè opinentur.

VI. Injuriosum est asserere: Eundem *Fridericum pulchrum* suo ambitu Imperium turbâsse. *Albertum II.* non virtutibus magis quàm vitiis fuisse insignem. *Fridericum IV.* id quod censet *Hübnerus* oscitantiâ suâ & de-

desidiâ Constantinopolim , & totum Orientale Imperium amisisse.

VII. Carolus IV. Universitatis nostræ Fundator , & Pater non nisi per calumniam Imperii Vitricus aut Rex potiùs Bohemorum quàm Imperator Romanorum dictus est, dicendus potiùs verus Imperii Parens.

VIII. Inchoata ab *Alberto II.* continua successio ex domo *Habsburgico-Austriaca* ultra tertium protensa jam seculum in Imperio Romano-Germanico nequaquam censenda est labes aut morbus Imperii.

IX. Falsò accusatur *Maximilianus I.* quasi multa bella gessisset, non tam ad publicum, quàm ad privatum suæ domûs emolumentum. Et quasi mera ex arrogantia sibi primus *Archiducis* titulum attribuisset.

X. *Caroli V.* Abdicatio Imperii non erat testimonium vitæ ingloriæ, & illaudatæ , sed erat actus pius , & heroicus.

XI. *Carolus V.* occubuisse morte Lutherana Eundem , aut etiam *Ferdinan-*

*nan-*

*mandum I.* non obstante *indulte*  
*interimistico* Transactione Passa-  
viensi vel pace Religiosa, hæresicos  
fuisse fautorem, *Maximilianum II.*  
eidem penitus fuisse addictum, in-  
juria est avitæ *Habsburgico-Austria-*  
*ce* pietati admodum probrosa.

XII. Neque *Ferdinandus II.* neque al-  
ius ex eadem domo Augustissima  
reliquis viam interceptit electioni  
deinceps liberæ. Neque idem  
*Ferdinandus* aut alius sive Majorum  
illius, sive posterorum *Bullam au-*  
*ream* iniquè pro sua commoditate  
interpretatus est.

XIII. Belli Bohemici cum ingenti  
deformatione Germaniæ seculo  
XVII. erumpentis causa non nisi  
per calumniam in Imperatores Au-  
striacos *Rudolphum II. Mathiam,* aut  
*Ferdinandum II.* refunditur.

XIV. Nullius ponderis, & momenti  
sunt rationes, quæ à quibusdam  
prætendebantur pro *Friderico Pa-*  
*larino* dicto Rege Hyemali ad legi-  
timan-



timandam acceptationem sceptri Bohemici.

XV. Edictum Restitutionis editum ab eodem *Ferdinando II.* iniquè traducitur à nonnullis spectatâ illius seu materiâ, seu formâ aut modò procedendi.

XVI. Causæ, quas in declaratione Belli Svecici attulit Gustavus Adolphus fuerunt partim prætensæ, partim secundariæ, dissimulatâ primariâ, quæ fuit: quòd à quibusdam Imperii Principibus fuerit invitatus. Ipsa autem invitatio nequaquam juxta quorundam opinionem, justis de causis facta est.

XVII. Magnificentia etiam Hierarchiæ Ecclesiasticæ spectata quoque potestate, & bonis temporalibus specialiter in Imperio Romano Germanico est conveniens, utilis, ac nostro præsertim tempore necessaria, adeò: ut malè à nonnullis traducatur, ceu Imperio noxia, statuique politico præjudiciosa.

XVIII. Sanctio Pragmatica *Caroli VI.*  
nequa-

nequequam iniquum, sed æquissi-  
mum, & opportunum Paternæ so-  
licitudinis, meritò ab universis Im-  
perii Statibus dilaudatæ, est inven-  
tum.

XIX. *Domus Lotharingica & sangui-  
ne, & meritis ex vero est Habsburgico-  
Austriaca.*

XX. Non caret conveniente funda-  
mento augurium quorundam Po-  
puli sentientium fore: ut sa-  
pientibus Superis Imperii felicitas  
laudatæ Domus Habsburgico-Au-  
striacæ flore, atque regimine in-  
postitum quoque semper depen-  
deat, conformiter Friderici IV.  
Symbolo, A, E, I, O, U, Austriaci  
erunt in orbe ultimi.

M. D. G.







Leopold Pospíšil,  
knihář  
Olomouc, Panská 2.

2470



[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)